



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus Aliqui De Examine Conscientiæ Generali Quotidiano Secundum Doctrinam S. P. N. Ignatii In Libello Exercitiorum

Palma, Luis de la

Coloniae, 1701


[urn:nbn:de:hbz:466:1-51909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51909)





Th. 3070.


f. IV.

5.









TRACTATUS
ALIQUI
DE
EXAMINE
CONSCIEN TIÆ
GENERALI
QUOTIDIANO
SECUNDUM DOCTRINAM
S. P. N. IGNATII
IN
LIBELLO EXERCITIORUM
PER
LUDOVICUM DE PALMA
TOLETANUM
SOCIETATIS JESU

Hispanice scripti & latinè redditi

Per Sacerdotem ejusdem Societatis.

EDITIO SECUNDA.

Socius Acau



Paderborna

COLONIÆ,

Typis ALLARDI AALTSZ. 1701.

TRACTATUS
EXAMINE
CONSCIENTIÆ
S. P. N. JONATHAN
LIBRO PRIMO
AMSTERDAMI
MDCCLXXII
COLDWELL
THE LIBRARY

(3)

A D

LECTOREM.



Pater Ludovicus de Palma, natione Hispanus, patriâ Toletanus, præclari ingenii & præstantissimæ prudentiæ vir, Libelli Exercitiorum commentator egregius, libros varios luci publicæ dedit linguâ vernaculâ: atque horum aliquos ad Declarationem clariorem Exercitiorum S. P. N. Ignatii. Nimirum Praxim brevem Exercitiorum, quæ Latinos etiam Typos subiit: & librum in quarto sub hoc titulo, Via spiritualis eo modo quo illam docet B. P. I-

A 2

gnatius

gnatius in libro Exercitiorum.
 Pars prima. Compluti 1626.
 Qui liber haecenus non nisi Hispanice prodiit: promittitque Autor ibidem ejusdem Viae partem Secundam & Tertiam. Sed valetudine infirma affectus, & occupationibus gravissimis distractus, (utpote Collegiorum plurium Rector, bisque Provinciae Toletanae administrator,) promissum solverenequit. Conscripsit tamen Partis illius secundae Tractatus aliquot. Horum non nullos, de Examine conscientiae generali quotidiano, transtuli in latinum: quos utiliores censebam, magisque ad praxim assiduam facientes. Fruere, Lector, & secundum spiritum S. P. nostri exercitium Examinis hujus institue.

TRAC-

(5)

TRACTATUS

PRIMUS.

*De forma Examinis Generalis
quotidiani.*

CAPUT I.

*Quid senserint Sancti Patres de Exercitio
hujus Examinis.*



Quoniam per Exomologesin peccata vetera delere non sufficit, verum etiam vitæ præsentis vitia emendare oportet: Examen sui quotidianum identidem adhibendum est. Hoc Examen dicitur Generale: propterea quod ad omnes hominis actiones sese extendat, quantumvis ad unius diei spatium arcetur.

A 3

tetur.

tetur. Quid rei sit, quanta sit ejus necessitas, quantaque utilitas, per similitudines varias à Sanctis Patribus inculcatum est. Harum aliquas ipsissimis illorum verbis juvat producere.

S. Joannes Chrysoftomus in illud Davidis, *Irascimini & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini*: observat à Sancto Propheta hic assignari partes boni examinis, nimirum, inquisitionem, compunctionem, & propositum. „ Vi-
 „ disti, inquit, (a) optimam meden-
 „ di rationem: quomodo & præserva-
 „ toriis medicamentis usus est. Præci-
 „ pere enim ne in peccata incidas, præ-
 „ servatorii medicamenti locum obti-
 „ net, nempe, *irascimini & nolite*
 „ *peccare*. Illud autem, *quæ dicitis in*
 „ *cordibus vestris, in cubilibus vestris*
 „ *compungimini*, correctorii. Postquam
 „ enim peccavit, adhibet rursus medi-
 „ camenta, ab ipso qui peccavit acceptâ
 „ medicinâ. Hac ergo utamur medi-
 „ cina, quæ nihil omnino habet diffi-
 cul-

(a) In Psal. 4.

„ cultatis. Sin autem non sustinet a-
 „ nima meminisse peccatorum, eru-
 „ bescens & pudore suffusa, dic illi:
 „ Nihil lucri facis, si non memineris:
 „ sed magnum potius damnum accipis.
 „ Si enim nunc apud te non memineris,
 „ tunc ante omnium oculos tua sta-
 „ tuentur peccata. Sin autem nunc ea
 „ supputaveris: & ab illis cito libera-
 „ beris, & in alia non facile incidēs.

Bernardus (a) in illud Canticorum
Tempus putationis advenit, observat
 Spiritum-sanctum adhibere similitudi-
 nem vinitoris, qui amputat ramos inu-
 tiles, herbasque noxias eradicat. Ne-
 que id semel, sed sæpius: semper enim
 repullulant ea quæ nocent. Hanc eam-
 dem diligentiam in rescissione vitiorum
 necessariam censet. „ Quis enim, in-
 „ quit, ita ad unguem omnia à se su-
 „ perflua resecauit, ut nihil se habere
 „ putet putatione dignum? Credite
 „ mihi, & putata repullulant, & effu-
 „ gata redeunt, & reaccendantur extin-
 „ cta, & sopita denuo excitantur. Parum

A 4

est

(a) *Serm. 58. in Cant.*

„ est ergo semel putasse, sæpe putan-
 „ dum est, imo si fieri possit semper:
 „ quia semper quod putari oporteat, si
 „ non dissimules, invenis. „ Sermonem
 hunc paulo post sic concludit. „ *Scru-*
 „ *temur* juxta Prophetam *Vias nostras*
 „ *& studia nostra*, & in eo se quisque
 „ judicet profecisse: non, cum non
 „ invenerit quod reprehendat; sed cum
 „ quod invenerit reprehendet. Tunc
 „ te non frustra scrutatus es, si rursus
 „ opus esse scrutinio advertisti. Et to-
 „ ties non te defellit inquisitio tua, quo-
 „ ties iterandam putaveris. Si autem
 „ semper hoc cum opus est facis: sem-
 „ per ergo opus esse tibi memine-
 „ ris.

Haud minus hoc loco quadrat simili-
 tudo patris familias rationem expenso-
 rum exigentis à servo suo: quam idem
 Chrysoftomus adhibet alio loco. (a)

„ Statim, inquit, cum surreximus à
 „ lecto, priusquam nos conferamus ad
 „ forum, vel priusquam aggrediamur
 „ opus aliquod, vel privatum, vel pu-
 bli-

(a) *Serm. de Pœnit. & Conf.*

„ blicum: vocato ministro, rationem
 „ sumptuum petimus, ut sciamus quid-
 „ nam malè, vel quid benè expenderit.
 „ Et si viderimus parum quiddam
 „ desiderari: omnibus modis reco-
 „ gitamus accessionum occasionem,
 „ ne inviti perdamus. Faciamus igitur
 „ hoc & in operibus nostris, vocatâ
 „ conscientiam nostrâ, faciamus simili-
 „ ter rationem verborum, operum,
 „ cogitationum: & scrutemur, quid
 „ utiliter insumptum sit, & quid in
 „ perniciem nostram. Quæ concupi-
 „ scentia oculum in intemperantiam
 „ provocarit: quæ cogitatio cum dam-
 „ no nostro in opus prodierit, vel per
 „ manus, vel per linguam, vel per co-
 „ gitationes ipsas. „ Ut vero fructum
 „ ab examine referamus, qui non in co-
 „ gnitione peccatorum, sed emendatio-
 „ ne consistit: sic pergit. „ Operam de-
 „ mus, ut ab intempestivo sumptu ab-
 „ sistamus. Pro semel malè insumptis,
 „ aliud reponamus lucrum: pro verbis
 „ temerè prolatis, sanctas preces: pro
 „ visu, intemperanter facto, eleemo-

» synas & jejunia. Quod si intempe-
 » stivè insumpturi sumus, nullumque
 » nobis vel reposuerimus, vel thesau-
 » rizaverimus bonum: in extremam re-
 » dacti inopiam solvemus poenam, im-
 » mortali igni nos injicientes. Igitur
 » fervorum mane rationem facere con-
 » suevimus: operum autem post cœ-
 » nam & vesperam in cubilibus, nullo
 » interturbante, nullo obstrepente,
 » omnium eorum quæ per diem facta &
 » dicta, rationes à nobis exigamus. Et
 » si quid viderimus à nobis peccatum
 » esse puniamus nosmetipsos: incre-
 » pemus mentem & conscientiam;
 » compungamus rationem tanto impe-
 » tu, ut non audeat ultra exurgere, &
 » in idem peccatorum profundum nos
 » inducere, memores vespertinæ pla-
 » gæ. Et quod tempus hoc huic ratio-
 » ni accommodatius sit, audi Prophe-
 » tam dicentem: *Quæ dicitis in cordi-
 » bus vestris, in cubilibus vestris compun-
 » gimini.* »

Comparatio judicis reum examinan-
 tis, in scriptis Patrum occurrit frequen-
 tius,

tius. Bernardus ad Fratres de Monte
 Dei: (a) „ Dilce, inquit, secundum
 „ communis instituti leges tu tibi præ-
 „ esse, & vitam ordinare, & mores
 „ componere, & teipsum judicare, &
 „ teipsum apud teipsum accusare, sæpe
 „ etiam condemnare, nec impunitum,
 „ dimittere. Sedeat judicans justitia,
 „ stet rea & seipsam accusans conscien-
 „ tia. Nemo te plus diligit: nemo te
 „ fidelius judicabit. Manè præteritæ
 „ noctis fac à temetipso exactiorem, &
 „ venturæ diei tu tibi indicito cautio-
 „ nem. Vesperi diei præteritæ ratio-
 „ nem exige, & supervenientis noctis
 „ fac indictionem. Sic districto, ne-
 „ quaquam tibi lascivere vacabit.

Augustinus breviter: (b) “ Af-
 „ cendat homo adversum se tribunal
 „ mentis suæ: existimet illud, quod o-
 „ portet nos exhiberi ante tribunal
 „ Christi, ut illud recipiat unusquisque
 „ quod per corpus gessit, sive bonum,
 „ sive malum. Constituat se ante fa-
 „ ciem

(a) *Ante med.* (b) *Homil. 50.*
inter 50 Cap. 4.

„ ciem suam, ne hoc postea fiat. „
 In hac similitudine fusior est Chryso-
 stomus, ad verba Psalmi 4. supra relata,
In cubilibus vestris compungimini. „ Post
 „ cœnam, *inquit*, quando itis dormi-
 „ tum, quando estis decubaturi, &
 „ nullo præsentente multa quies & silen-
 „ tium, & nemine interturbante pro-
 „ funda tranquillitas: excita iudicium
 „ tuæ conscientiæ. Ab ipsa rationem
 „ exige, & quæ interdium mala cepisti
 „ consilia, vel dolos construens, vel
 „ propinquum circumveniens, ea cum
 „ in illius quietis tempore in medium
 „ adduxeris, & improbis illis cogitatio-
 „ nibus conscientiam iudicem dederis;
 „ eas fodica & dilania, & de eis pœnam
 „ fume, occide cogitationem quæ pec-
 „ cavit. Id enim sibi vult illud: Com-
 „ pungite, pro eo quod est, pungite,
 „ stimulate, quæ in cordibus vestris
 „ dixistis interdium. Hoc est, mala quæ
 „ cogitastis consilia, ea in cordibus ve-
 „ stris in tempore illius quietis punite:
 „ in ea animadvertite, quando neque
 „ amicus interturbat, nec famulus ir-
 „ rat

„ ritat, nec turba negotiorum urget,
 „ tunc vitæ interdiu actæ rationem exi-
 „ gite. Et cur non dixit, verborum
 „ & factorum, sed malarum cogitatio-
 „ num? Hoc docens ex abundantia. Si
 „ enim mala sunt castiganda consilia, ut
 „ non in opus exeant: multo magis pro
 „ factis & dictis oportet angi animo.
 „ Hæc fiant singulis diebus: nec prius
 „ dormieris, ô homo, quam mente
 „ versaveris ea quæ à te interdiu perpe-
 „ ram acta sunt: & die sequenti eris o-
 „ mnino tardior ad ea ipsa rursus aggre-
 „ dienda.

Rursum alibi idem Chrysostronus. (a)

„ An non codicem domi habes, in quo
 „ quotidianas rationes scribas? Habe
 „ item codicem in conscientia: & quo-
 „ tidiana peccata scribe. Verbi gratia:
 „ Cum in lecto tuo jaces, nec quisquam
 „ est qui tibi negotium faceffat, ante-
 „ quam somnus irrepat, libellum in
 „ medium produc, & peccata tua tecum
 „ reputa, dicens apud te ipsum: Num-
 „ quid hodierno die vel sermone, vel

A 7

„ opere

(a) In Psalm. 50. Homil. 2. in medio.

„ opere peccavi? Hoc ut faciamus mo-
 „ net Propheta, cum ait: *Irascimini*
 „ *& nolite peccare: quæ dicitis in cor-*
 „ *dibus vestris, in cubilibus vestris com-*
 „ *pungimini.* Diurno tempore id fa-
 „ ciendi spatium non habes: verum, &
 „ Præfectorum metus, & sodalium col-
 „ loquia, & negotiorum cura, & a-
 „ lenda prolis studium, & uxoris pro-
 „ curatio, & paranda mensæ sollicitu-
 „ do, & denique infinitæ res, animum
 „ tuum distrahunt. Cum autem in lec-
 „ tum, hoc est, ad tranquillitatis por-
 „ tum te coniecisti, nec illus est qui ti-
 „ bi molestiam exhibeat: dic cordi tuo,
 „ atque animæ tuæ. Exegimus ho-
 „ diernam diem, ô Anima: quid boni
 „ fecimus, aut quid mali admisimus?
 „ Ac gehennæ recordare, ut metu af-
 „ fectum bonum augeas, malum au-
 „ tem de medio tollas. Si in lecto sis,
 „ atque in peccatorum tuorum memo-
 „ riam venias, collacryma: atque hac
 „ ratione ea in lecto delere potes. Deum
 „ tuum roga atque obsecra: sicque cor-
 „ pus somno trade, posteaquam prius
 „ pec-

„ peccata tua confessus fueris, ac ra-
 „ tiones à teipso exegeris. Sic enim
 „ requiem à Deo obtinebis. Mole-
 „ stumne ac grave est in lecto jacentem
 „ quotidiana peccata supputare? Cum
 „ autem ea supputas, animum tuum
 „ suspende, ipsum expoli, ipsum ge-
 „ hennæ metu aperi, ipsi sectionem
 „ quæ dolore careat adhibe. Horren-
 „ dum tribunal tibi effice, animum le-
 „ niorem redde: ut postero die ad per-
 „ petranda peccata cunctantius acce-
 „ das.

Utilitatem hujus judicii declarat S.
 Papa Gregorius, his verbis. (a) „ Quis-
 „ quis æternitatis desiderio anxius, ap-
 „ parere venturo judici desiderat mun-
 „ dus: tanto se subtilius nunc exami-
 „ nat, quanto nimirum cogitat, ut
 „ tunc terrori illius liber assistat. Et
 „ ostendi sibi exoptat, ubi displicet: ut
 „ hoc in se per pœnitentiam puniat, se-
 „ que hic dijudicans injudicabilis fiat. „
 Id ipsum insinuasse visus est ipse Apосто-
 lus, cum ait: (b) *Quod si nosmetipsos*
di-

(a) II. Moral. 23. (b) I. Cor. II. 31.

dijudicaremus, non utique judicaremur.
 Chrylostomus in hunc locum (a) „
 „ Non dixit, si puniremus, si suppli-
 „ cium de nobis sumeremus, sed, si
 „ *dijudicaremus*: hoc est, si nostra tan-
 „ tum voluerimus peccata cognoscere,
 „ si condemnare nosmetipsos, libera-
 „ remur utique & ab hujus & futuri se-
 „ culi suppliciis. Qui enim seipsum
 „ condemnat, dupliciter Deum pla-
 „ cat: & quia peccata sua cognoscit;
 „ & quia in posterum pigrior ad pec-
 „ candum efficitur.

Magnæ molis sit dicta omnia Patrum
 congerere pondere justo librantium dis-
 cussionis hujus fructus eximios: de qui-
 bus ipsi etiam Sapientes ethnici, Philo-
 sophique luce fidei destituti, præclare
 fenserunt. Missis ceteris, unus Seneca
 proferatur, qui remediis iræ valentiori-
 bus, (de quo vitio sermo erat) quoti-
 dianum animi sui examen accenset. (b)
 „ Animus, inquit, quotidie ad ratio-
 „ nem reddendam vocandus est. Fa-
 „ ciebat

(a) *In 1. Corin. 1. hom. 28.* (b) *lib. 3.
 de Ira. cap. 36.*

ciebat hoc Sextius, ut consummato
die, cum se ad nocturnam quietem
recepisset, interrogaret animum
suum. Quod hodie malum tuum
sanasti? cui vitio obstitisti? qua
parte melior es? Desinet ira, & erit
moderatio, quæ sciet sibi quotidie
ad iudicem esse veniendum. • Quid
ergo pulchrius hac consuetudine ex-
cutiendi totum diem? Qualis ille
somnus post recognitionem sui se-
quitur? quam tranquillius, altius, ac
liber, cum aut laudatus est animus,
aut admonitus, & speculator sui cen-
sorque secretus cognoscit de moribus
suis? Utor hac potestate: & quo-
tidie apud me causam dico. Cum
sublatum à conspectu lumen est, &
conticuit uxor, moris mei jam con-
scia, totum diem meum scrutor,
facta ac dicta mea remetior. Nihil
mihi ipse abscondo, nihil transeo.
Quare enim quidquam ex erroribus
meis timeam, cum possim dicere:
Vide ne istud amplius facias, nunc
tibi ignosco. In illa disputatione
,, pu-

„ pugnatus locutus es : noli postea
 „ congedi cum imperitis : nolunt di-
 „ scere , qui numquam didicerunt.
 „ Illum liberius admonuisti , quam de-
 „ bebas : itaque non emendasti , sed
 „ offendisti. De cetero vide , non
 „ tantum an verum sit , quod dicis : sed
 „ an ille cui dicitur , veri patiens sit. „
 Quam egregiè describit formam mo-
 dumque , tum excutiendi , tum etiam
 corripienti sui ipsius : quam potenter
 omnes ad iudicium hoc invitat , à rei
 facilitate , à benevolentia Iudicis , à cor-
 reptionis suavitate & secreto.

Synopsis totius Capituli hujus hæc est.
 Examen generale , medicinam esse , qua
 morbis animi medeamur : culturam
 horti interioris , quâ noxia quælibet e-
 vellamus : stateram æquam , quâ ratio-
 nem expensorum exigamus à nobis ipsis ,
 ne sensim ad æternam pauperiem rediga-
 mur : anticipationem iudicii divini , ne
 hujus rigorem malo nostro subeamus :
 excussorem pulveris lutique abstersio-
 nem , à creaturis rebusque exterioribus
 adhærentis : macularum deterfionem ,
 quæ

quæ vestem animæ inquinaverunt: lavacrum, quo nosmetipsos abluimus in sanguine Agni: scopas, quibus animæ sordes everrimus, ut domus nostra munda sit & immaculata. Has ipsas scopas adhibebat David, cum dixit: (a) *Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Harum scoparum, ut observat Job, (b) major incumbit necessitas, his qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum. Domus enim luteæ, quales sunt quas incolimus, facillimè sordescunt.

Formam hujus Examinis proponit S. Ignatius in principio Exercitiorum his verbis.

a) *Psal. 76.7.*

(b) *Cap. 4. 19.*

EXA-

EXAMINIS GENERALIS M O D U S,

Particulas seu puncta quinque com-
plectens.

Primum punctum est, Domino nostro
Deo, pro beneficiis acceptis gratias
reddendas esse.

Secundum, quod debemus pro cog-
nitione & expulsionem peccatorum gratiam
flagitare.

Tertium, de admissis presenti die pec-
catis rationem ab anima nostro exigere, per
horas singulas, ex quo surreximus, vesti-
gando. Et primo quidem, circa cogita-
tionem, eodem ordine quo in Examine
particulari traditum est.

Quartum, postulare veniam pro delictis.

Quintum, proponere cum Dei gratia
emendationem: & orationem Domini-
cam post dicta omnia recitare. Pater
noster.

CAPUT II.

*De Puncto primo Examinis, sive Actione
Gratiarum.*

ANte omnia inquirendum declarandumque est, quam ob causam S. Ignatius hoc exercitium à gratiarum actione exordiat. Primo quidem, actio gratiarum pro beneficiis acceptis, res obligationis rigidæ est, & Sacrificium laudis quo benefactor divinus honoratur; dein disponit ad nova majoraque beneficia de manu Dei recipienda. Neque enim dubium esse potest, quin defectu gratitudinis erga fontem ex quo omnia promanant, donorum cælestium abundantiam destituamur. Hinc redditi gratiarum tantopere commendatur à Sanctis Patribus: hinc ea toties inculcatur ab Apostolo Paulo: hinc toties re ipsa præstatur à Davide in Psalmis. Cautum porro voluit S. Pater, ne hæc gratiarum divinarum reminiscencia & qua-

qualiscumque compensatio ab Exercitiis nostris spiritualibus, umquam abesset. Quamquam vero huic officio in Meditationibus locum non unum assignaverit, præsertim in colloquiis: fixè tamen in ipso Examinis principio debitum hoc locavit, veluti loco omnium securissimo. Neque enim Exercitia reliqua, vel omnium, vel cujusvis temporis sunt: Examen autem, ut patebit, & ab omnibus, & omni tempore adhibendum est. Ut enim momenti majoris negotia quandoque suffurentur tempus Orationis: at nullum omnino momenti tanti censi potest, ut eripiat tempus Examinis. Non potuit igitur Ignatius gratiarum actionem firmiori loco collocare, quam in fronte Examinis.

Præterea, ipsa hujus disquisitionis natura, hoc officium gratitudinis quasi comitem subsidiarium postulat. Id ut liqueat, præstandum observandumque est, morem esse justorum beneficia divina efflagitantium, ab indignitatis suæ accusatione orationem occipere: juxta illud, (a) *Iustus prior est accusator sui.*

(a) *Prov. 18. 17.*

Con-

Contra vero, morem esse Dei dum injustis peccata improperat, revocare dona sua in memoriam, inchoando ab exprobratione accusandoque nos immemores beneficiorum. Quoniam igitur hanc disquisitionem instituimus, ut peccatorum & ingratitude nostræ nos acculemus: non possumus aptius exordiri, quam à gratiarum actione de bonis à Deo acceptis. Sive enim peccata nostra incusamus ad divina beneficia consequenda; sive de acceptis beneficiis gratias agimus ad impetrandam veniam peccatorum: eadem utrimque emolumenta proveniunt. Morem hunc, quem dixi, observavit Deus, quando Davidem adulterii arguit: sic enim illi per Prophetam locutus est (a) *Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ego unxi te in Regem super Israël, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi Domum Domini tui, & uxores Domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israël & Juda: & si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora. Quare ergo contempsisti verbum Domini,*

ut

(a) 2. Reg. 12. 7.

ut faceres malum in conspectu meo? Et iterum, cum rebellem populum suum gravissimè reprehendit per Michæam (a) *Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fuit tibi? responde mihi. Quia eduxi te de terrâ Egypti, & de domo servientium liberavi te Et custodisti præcepta Amri (impii Regis Israël, patris Achab) & omne opus domus Achab, & ambulasti in voluntatibus eorum, ut darem te in perditionem, & habitantes in ea in sibilum.* Hæc ad exaggerandam scelerum gravitatem, pudoreque peccatores confundendos, verecundiamque concitandam, ac extorquendam. Tantas habet vires rememoratio beneficiorum.

Viam longè aliam ineunt justi, cum ad gratias & beneficia divinam misericordiam student pellicere: ante omnia reos se profitentur, Deumque delictorum suorum memorem reddunt. Tobias senior ingemiscens, & cum lacrymis ad Deum conversus, in hunc modum orationem ordiebatur.

Iustus

(a) *Michæa 6. 3.*

(a)
tu
m
pe
m
no
di
ter
im
th
ni
fle
vi
m
pi
gel
tra
Da
hæ
fec
&
dic
phe
bus

(c)

(a) *Iustus es Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt Et nunc Domine memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. Quoniam non obedivimus praeceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, & captivitatem: & mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus. Bethuliã per Holofernem ad rerum omnium desperationem redactã, populus flens & ululans sic orabat: (b) Peccavimus cum patribus nostris, injustè egimus, iniquitatem fecimus. Tu, quia pius es, miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, & noli tradere confitentes te populo qui ignorat te. Danielis Babylone captivi oratio erat hæc. (c) Peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & recessimus: & declinavimus à mandatis tuis ac iudiciis. Non obedivimus servis tuis Prophetis, qui locuti sunt in nomine tuo Regibus nostris, . . . patribus nostris, omnique*

(a) *Tobia. 3. 2.*

(b) *Jud. 7, 19.*

(c) *Daniel 9, 5.*

B

populo

populo terra. Tibi Domine iustitia: ... nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, & patribus nostris, qui peccaverunt. Tibi autem Domino Deo nostro misericordia & propitiatio, quia recessimus à te. Ad hanc ipsam rationem, iusti alii ante Dei pedes prostrati, & misericordiam implorantes, ante omnia reatum suorum gravitatem exponunt. Mirabilis enim vero Rhetorica, & Oratorum omnium Regulis è diametro adversaria. Etenim qui ab homine nititur sive gratiam sive veniam consequi, argumentum dicendi desumit à meritis personæ, & præclare gestis: qui vero divinam opem implorant, tamquam telum maximè efficax, peccata sua promunt & multa & magna, ut Deum sibi reddant propitium & liberalem, atque in hunc modum perorant. Tantum abest, Domine Deus, ut dignum me comperiam beneficio, quod exposco; ut mille titulis potius me indignum reddiderim; neque mihi ullatenus, sed unicæ misericordiæ tuæ, quæcumque impetro adscribere possim.

Magna

Magna sunt omnia, quaecumque in creaturas tuas derivas, hoc ipso, quod prominent ex te: verum magnitudo hæc increfcit summoperè, propterea quod ea conferantur immeritis: quantumque cumulus peccatorum meorum mihi detrahit meritorum, tantum addit beneficiorum tuorum magnitudini incrementum. Gratia tua munera non efficient, ut me aliis melioribus comparem: tua illa sunt, quaecumque elargiris, omni ego nuditate, ignominiâ, supplicioque dignissimus. *Domino Deo nostro justitia, nobis autem confusio faciei nostræ.* (a) Novi, Domine, quia natura tua misericordia est, proclivis ut divitias bonitatis suæ creaturis semper communicet: at peccata mea veluti constringunt & ligant munificas manus tuas. Id compertum habeo, Domine mi: propterea supplex veniam peto, ut sublato obice, gratiarum tuarum abundantia in me defluat. En affectus quos involvit accusatio sui in principio orationis. Ejus efficaciam auget: quoniam tollit obstacula

B 2

(a) *Baruc. I, 15.*

cula gratiæ impetrandæ. Disponit ad depressionem sui dona integrè adscribendo donanti, neque sibi relinquendo quidquam præter verecundiam & pudorem. Excitat etiam ad gratias agendas: tum quia crescit beneficium ab indignitate recipientis; tum quia per se majorem gratitudinem postulat, quod non nisi ex misericordii liberalitate donatum est.

Jam porro videamus, eadem hæc omnia profluere ex gratiarum actione, quam præmittimus, dum accingimur ad excutiendam conscientiam, aliaque quæ discussionem hanc consequuntur. Quando enim Exercitium hoc sic incipimus, tantumdem agimus, atque si exordiremur hoc modo. Millenis tittulis me tibi devinctum, millenis aliis atque aliis devincire pergis in dies: ut fidelem tibi Domino meo serviam servitutum. Si huic debito defum, in me unum cadit culpa, notaque ingratiitudinis tantò gravioris, & detestabilioris, quantò beneficiis ex omni parte amplissimis minus respondeo. Non est tamen unde

unde

unde spem abjiciam, atque animis cadam: cum inter tot noxas, quæ quotidie me circumdant, re ipsa experiar torrentem gratiarum, misericordiæ, amorisque tui, in me nondum arescere; sed beneficia beneficiis tuo munere superadjici. Novi Domine per hanc inertiam torporemque meum irritari te ad vindictam, ut qui amore non trahitur instar filii, stimulis poenarum servilibus excitetur. Hoc igitur fixum habeo rationem inire mecum, & prævenire justitiæ tuæ flagella, & detectâ debitorum summâ pro his satisfacere, ut tu Pater Misericordiarum flectaris, & peccata filii tui dissimules. Hæc ergo ratio est, quâ Examini huic principium damus. Hoc punctum primum, sive gratiarum actio, si rem attentius inspicimus, veluti compositio loci est; quâ constituimur in præsentia Dei, tamquam Patris amantissimi, & benefactoris immensi, qui dona sua vetera novis & majoribus augere paratus est. Considerari etiam potest hoc punctum, veluti Oratio quædam præparatoria ad hoc exercitium, quâ nos

t ad
scri-
endo
udo-
ndas:
igni-
najo-
non
atum

hæc
one,
imur
aque-
ntur.
inci-
ue si
titu-
iis at-
ut fi-
vitu-
ne u-
itudi-
ioris,
nplif-
amen
unde

disponimus ad cognoscendum numerum gravitatemque errorum, ut fiducia nostra crescat de culparum veniam consequendam, atque ad expungenda debita novis beneficiorum auxiliis cælitus roboremur. Hæc enim sunt Examinis effecta præcipua.

At, ne quæso inter beneficia, de quibus gratias agimus, illud excidat, quod & quotidianum, & ad extimulandam socordiam nostram summopere observatu necessarium est. Promptitudo scilicet miserentis Dei, quâ infirmitati nostræ condolens, quotidie ignoscit peccantibus, etsi post dolorem & propositum rursus in delicta eadem recidamus. Tangit hoc beneficium S. Basilii, & de eo docet agere gratias singulares, his verbis: (a) “ Gratias tibi
 „ ago, Domine, propter incredibilem
 „ clementiam, & in ferendis hominum
 „ culpis facilitatem tuam: qui peccan-
 „ tem me quotidie patientiâ tuâ susti-
 „ nes, & ad resipiscendum omnibus
 „ nobis potestatem facis. Propter
 „ hoc

(a) *Constitut. Monast. cap. 2.*

„ hoc enim taces, & nos sustines Do-
 „ mine, ut tibi gratias agamus, qui
 „ salutem generis nostri, modò ter-
 „ rendo, modò leniter exhortan-
 „ do, moderaris: quique per
 „ Prophetas primò, postremò etiam
 „ per adventum Christi tui nos
 „ visitaveris. Tu enim finxisti nos,
 „ & non ipsi nos: tu es Deus noster.
 „ Eodem spiritu Deum allocuta est,
 „ quæ dixit: (*a* *Benedictum est nomen*
 „ *ium Deus Patrum nostrorum: qui*
 „ *cum iratus fueris misericordiam*
 „ *facies, & in tempore tribulationis*
 „ *peccata dimittis his, qui invocant*
 „ *te.* „ Hæc de Puncto primo suffi-
 ciant.

(*a* *Tob. 3, 13.*

C A P U T III.

De secundo Puncto Examinis, sive Petitione gratiae.

Punctum alterum est, *pro cognitione & expulsionem peccatorum gratiam flagitare.* Huc enim praecipue dirigitur hoc exercitium, ut & cognoscantur peccata, & expellantur. Quoniam vero utrumque hoc negotium neque paucis neque parvis difficultatibus impeditur: gratia divina utrimque opus est singulari. De difficultatibus circa hanc cognitionem, hic agemus: de iis, quae expulsionem concernunt, dicemus aliqua ad punctum quartum & quintum. Tria igitur cognitionem hanc difficilem reddunt. Primum oritur ex parte intellectus, alterum ex parte voluntatis, tertium ex parte sensuum distractorum.

Ad tollendam difficultatem primam, intellectum illustrari necesse est, ut discernat

scernat inter bonum & malum. Quantoque defectus minutiores sunt, quos perspectos emendatosque volumus, tantò luce indigemus majore. Neque enim atomos, nisi ad solis radios persentiscimus: & in omni arte mechanicâ, quantò artifex excellentior est, tantò operis perfectionem intimius penetrat. Hic errores detegit aliis minus notos, aut non observatos: hic multa castiganda reperit in iis ipsis, quæ plerique pro absolutis habent. Pictorem reperias numquam manum removentem à tabula, & in ea semper aliquid emendantem, quod ceterorum oculos fugit: ubi pictor minus perspicax proponit publico tabulam tamquam numeris omnibus perfectam, & tamen vitiosam. Unde hæc differentia? nisi à defectu artis, facultatem cognitivam inficientis, ut neque perfectionem operis assequatur, neque penetret ejus perficiendi modum. Hoc ipsum evenit in progressu spirituali: ubi illud agimus in primis, ut ad imaginem Domini nostri Jesu Christi actiones omnes efformemus. Ad hoc verò vis

Peti-

itione

etiam

igitur

antur

oniam

neque

s im-

opus

s cir-

s: de

, di-

m &

onem

n ori-

parte

uum

nam,

it di-

ernat

animæ perspectiva caelesti lumine instruenda est, ut virtutis cujusque & axiomata & exercitationem perfectam probè intelligat. Porro lucem hanc in nos transfudit aspectus Domini nostri: quando illum non in umbris aut figuris contemplamur, sed in seipso. Quemadmodum ad hoc ipsum ipse se in terris spectabilem reddidit, ut in faciem ejus figeremus obtutum, & in eandem transformaremur imaginem, ut ait Apostolus. (a) *Omnes revelatâ facie gloriam Domini specularantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* A luce minori ad majorem: & pro lucis incremento, ad errorum minutias magis magisque in examine detegendas.

Ex parte voluntatis plurimum impedit amor proprius. Hic enim nititur tegere defectus & excusare, quando in lucem proferendi accusandique sunt. Non amat cognosci, id quod sibi adversatur: neque ad id attendi, quod naturæ ingratum est. Suppetias petit à sensibus

(a) 2. Corinth. 3, 18.

sibus in res externas distrahi solitis, neque patientibus animi collectionem ad sui cognitionem: & ut sensus denique vi adhibitâ contineantur, hebetes sunt, & stupent, ut interiora sua perspiciant. Quodque illis contingit qui à claro die transeunt in locum tenebrosum, ut sub ingressum nihil omnino videant, sed sensim lucem aliquam nanciscantur: hoc ipsum accidit iis, qui excutiendis conscientiae erratis recenter animum applicant. Molestia subtilitasque materiae, repugnantia amoris proprii, libertas sensuum rebus omnibus præterquam sibi intendere assuetorum, usque adeo mentem offuscant, ut parum absint à cæcitate. Verùm disquisitionis perseverantia, concomitante luce gratiæ divinæ, paulatim efficit, ut peccata cognoscant, & detestentur. Consuetudo enim inspiciendi seipsum, & commorandi in secreto cordis, facit ut occulta pandantur, & revelentur abscondita, ut rectè adnotavit Richardus. (a)

B 6

Quoniam

(a) *De Somnio Nabuchod. cap. 22.*

Quoniam igitur (a) pravum est cor hominis, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Nisi (b) Scrutans corda & renes Deus? Nemo ergo hanc abyssum penetrare præsumat, nisi induatur virtute ex alto, (c) quæ illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet consilia cordium. (d) Hæc igitur causa est, cur gratiarum actionem, ad peccatorum cognitionem & expulsionem petitio gratiæ subsequatur.

Duo hic notanda occurrent. Primo, duo hæc priora puncta examinis, respondere Orationi præparatoriæ & præambulis Meditationis. Oratio, quam S. Ignatius præparatoriam vocat, secundum ejus leges Meditationi semper præmittitur, ut per eam disponatur anima ad utiliter tractandum cum Deo. Oratio verò præparatoria in hoc examine gratiarum actio est, ut dictum superius. Huic Orationi proximè conjungitur Compositio loci, quâ Deum nobis nosque Deo præsentem sistimus, idque eâ ratione

(a) Jerem. 17, 9. (b) Psal. 7, 10.

(c) Luc. 24, 49. (d) 1 Corin. 4, 5.

ratione quam postulat materia ad meditando proposita: in Examine autem Deum nobis præsentem constituimus, ut liberalem, amabilem, promptum ad ignoscendum & benefaciendum, ob rationes in puncto primo memoratas. Succedit in Meditatione alterum præambulum, quo petimus à Deo fructum, quem Meditationi præfiximus: cum igitur Examinis fructus sit, cognitio & emendatio peccatorum; ante discussionem conscientiæ, hunc fructum consequi petimus. Quorsum hæc? Ut pateat, quantoperè convenient Meditatio, & Examen: & quam constanter utrobique eadem doceat idem Autor & Magister.

Notandum secundò: quemadmodum præambulis non est diutius immorandum, quam requirat dispositio ad Meditationem, quam ex instituto aggredimur: id ipsum etiam in hoc gemino capite Examinis usu venire. Etsi enim beneficia divina considerationis materiam subministrant, quam facile sit ad dies plures & menses extendere: hoc ta-

men loco breviter expedienda sunt, ut
& ipsa petitio gratiæ. Pro qua servire
potest hæc methodus: Tu verò benignis-
sime & liberalissime Deus, benefi-
ciis tuis innumeris in me collatis hoc
præterea adjice, quod divinam Majesta-
tem tuam humillimè rogo, ut in ani-
mam meam emittas lucem, & verita-
tem, & abundantiam gratiæ tuæ, quâ
meipsum sine dolo cognoscam, sine a-
dulatione reprehendam: & per notitiam
peccatorum ad contritionem veram
pœnitentiamque perveniam.



CAPUT IV.

De tertio Puncto Examinis, sive Inquisitione peccatorum: & de vitio circa hoc Punctum per defectum.

Sequitur punctum, à quo nomen habet hoc exercitium, quodque ejus substantia ac veluti corpus est, scilicet, discussio peccatorum illius diei: nisi seduli hîc sumus, destituimur fructu sperato. De discussionis hujus objecto, sive de rebus quæ examinandæ veniunt, sive de ratione quâ peccata ordinaria cogitationum, verborum, & operum ad certa quædam capita reduci possunt, nunc quidem sermo non est: erit Tractatu sequenti, ubi de materia hujus Examinis. Formam ejus hîc versamus, atque ea pertractamus, quæ inquisitioni huic vel obsunt, vel profunt.

Tria sunt, ut præcedenti capite dicebamus, quæ cordis sinum excutienti negotium faceffunt. Primum est absentia lucis, quæ requiritur in intellectu,

it, ut
ervire
enig-
nefi-
s hoc
jesta-
ani-
erita-
quâ
ine a-
itiam
eram

A-

tu, ut sibi quisque præfigat normam rectam, sive legem certam & regulam agendorum. Alterum amor proprius, qui prohibet ne culpis nostris pondus demus & gravitatem, quam in se habent. Tertium distractio sensuum, quæ impedit attentionem, & memoriam divertit ad alia: unde fit, ut declinet homo ea intueri quæ intra se sunt, & vagetur extra se. Ex tribus his capitibus in hoc Examine oriri solent vitia duo sibi mutuo adversaria: alterum ex defectu, alterum ex excessu. Vitium ex defectu illorum est, qui revera se non excutiunt, sive quia huic exercitio tempus certum stabileque non fixerunt; sive quia tempus quod præfixerunt, exercitiis aliis pietatis, vel alterius generis cogitationibus consumunt. Non stimulantur ad inquirendum, quia nihil inveniunt: certum tamen est, nihil invenire, quia non inquirent. Alii qui vitio contrario per excessum laborant, toti sunt in hoc opere, & cum anxietate immoderata, atque nimia perturbatione animi sua omnia recognoscunt. Utrumque
hoc

hoc vitium ex uno eodemque amoris
 proprii fonte scaturit. Primi quidem
 ex amore sui declinant peccatorum suo-
 rum conspectum: posteriores verò ex
 principio eodem horrent erratorum
 poenas, utque illas evitent timore per-
 celluntur ubi nullus est timor; & scru-
 tantur intima, ut culpas inveniant, etiam
 ubi non sunt. Si in examine non de-
 prehendant farraginem delictorum,
 seipsos torquent, & in extremas redi-
 guntur angustias. Suspiciuntur de opere
 malo, quod ne quidem in mentem
 venit: liquidèque sibi adscribunt, quod
 nullatenus perpetrarunt: atque ex his
 ipsis scrupulis scrupuli pullulant alii
 atque alii. Dumque ex una parte per-
 suasum habent circumferre se conscien-
 tiam oneratam peccatis, & ex altera
 cæcos esse se qui delicta sua non videant:
 lancinant seipsos, excruciantque cor
 suum dolore noxarum magno, & fructu
 exiguo. Contingit utriusque id quod
 peregrinantibus, qui aberrant à via
 rectâ, quam ignorant. Horum enim
 aliqui humi consident, neque student
 iter

iter profequi: aliqui se fatigant, percurruntque montes & valles, neque tamen hilum proficiunt. Amor proprius illis persuadet quietem, ne contendant frustra, atque operam perdant; his laborem iudicatum, ne traducant noctem sub dio. Utrumque oritur ex ignorantia viæ certæ. Idem profus evenit in re, quam agimus. Qui destituuntur legibus certis & regulis ad hoc opus determinatis, partim ab examine abstinent, partim cruciabili modo excedunt. Utrique errant damno suo gravissimo, siquidem ad profectum suum spiritualem aspirant.

Primis illis, qui per defectum peccant, proderit haud parum, attendere ad verba S. Patris nostri, qui tria postulat in hoc puncto. I. *Rationem ab anima nostra exigere.* II. *Per horas singulas ex quo surreximus vestigando: & primò quidem circa cogitationem, deinde circa loquelam atque operationem.* III. *Eodem ordine quo in examine particulari traditum est.* Hæc tria, inquam, si serventur, conferent plurimum, tum
ut

ut superentur difficultates supra memorata; tum in primis ut excutiat vitium, quod oritur ex defectu. Verbum enim illud, *rationem exigere ab animâ suâ*, virtutis magnæ est, ut homo animo humili & demisso vivat, tamquam vitæ rationem aliquando redditurus, atque intra seipsum habens qui illam exigat. Etenim, *rationem exigere*, jurisdictionis vocabulum est, quam agnoscere reformidant, quibus peccandi libertas placet. Juxta illud Jobi: (a) *Vir vanus in superbiam erigitur, & tamquam pullum onagri se liberum natum putat.* In quæ verba Gregorius. (b) „ Fit „ plerumque ut anima pravis desideriis „ serviens, à jugo se divini timoris „ excutiat, & quasi in malorum per- „ petratione jam libera, omne quod „ voluptas suggerit implere contendat. Quisque igitur sibi persuasum habeat, pollere se jurisdictione in seipsum: neque aliter vitam instituat, quam rationem aliquando exactam Deo daturus, & ne rationis hujus dein reddendæ oblivio

(a) Job. 11, 12. (b) 10. Moral. 10.

vio subeat, jam nunc sollicitus sit ut
quotidie illam exigat à seipso.

Hoc posito, rationem reddendam
esse: supponendum ulterius veluti in-
dubitatum, neque rationem ullam
posse dari, neque exigi, nisi cum re-
spectu ad regulam certam & determina-
tam, ad quam rationis æquitas appen-
denda sit. Ut, si ratio danda sit expen-
sorum, necesse est pecuniarum summam
certam & determinatam illi concreditam
fuisse, cui dare rationem incumbit:
cum his enim pecuniis tamquam regulâ
commensuranda hæc ratio est. Si vitæ
vel actionum danda ratio est, qualem
exigit iudex à reo: oportet dari legem
vel leges certas & determinatas, ad quas
tum accusatio, tum sententia ipsa respi-
ciant. Eodem prorsus modo nequit
homo rationem exigere ab anima sua,
nisi hanc referendo ad legem vel leges
certas, secundum quas ipse se accuset,
& in se sententiam ferat. Momenti-
summi doctrina hæc est: utpote à qua
pendeat magna ex parte profectus omnis
spiritualis. Propterea verissimè Tho-
mas

mas

sit ut
 ndam
 ti in-
 allam
 m re-
 nina-
 open-
 pen-
 mam
 litam
 abit :
 regulâ
 vitæ
 alem
 gem
 quas
 espi-
 equit
 sua,
 eges
 aset,
 nenti
 qua
 nnis
 Tho-
 mas

mas à Kempis (a) *Secundum propositum
 nostrum cursus profectus nostri.* Propo-
 situm, quod nobis formamus, lex &
 regula nostra est. Et quo perfectius
 fuerit hoc propositum, eo perfectio-
 res esse actiones nostras necesse est: ut-
 pote, quæ conformes esse debeant huic
 legi. Qui nihil proposuerit, nihil
 inveniet quod examinet: qui perfectiora
 proposuerit, in examine deteget defec-
 tus minores. Sicut enim latomum,
 aptantem lapidem, fugit, minusne an-
 plus refecandum sit, nisi applicet regu-
 lam: ita se examinantem latet, an pec-
 caverit nec ne, nisi applicet actiones
 suas proposito sive legi, quam sibi præ-
 fixit. Ad eò ut examen non sit aliud,
 quam secundum regulam præstitutam
 metiri opera diei cum propositis matu-
 tinis. Si non aliud proposuimus, quam
 evitare mortalia: examen præter mor-
 talia nihil inveniet. Si præterea con-
 stituimus hæc & illa venialia declinare:
 de his etiam arguet conscientia in exa-
 mine. Idem erit de imperfectionibus,
 quan-

(a) *lib. I. cap. 19. n. 2.*

quantumvis exiguis. Proin attendat unusquisque quoulsque extenderit propositum suum, circa modum orandi, circa sacrificium Missæ, Officium divinum, discursus familiares, mensam, animi relaxationes, &c. Mensura enim propositi, mensura erit profectûs. Piscatores piscibus minoribus venandis intenti, retibus utuntur constrictioribus: rariora enim retia solos pisces majores capiunt. Aptanda sunt proposita vitiis, quæ emendare intendimus. Sunt qui proposita formant adeo laxa, ut vix sufficiant ad salutem. Istiusmodi retibus solæ ferè balenæ captantur: neque enim serviet hoc examen, nisi ut peccata gravia foetidaque deprehendant, cetera enim conscientiam illorum non pungunt. Quisquis igitur apud se constituit, vel medio die, vel vesperi, à se exigere rationem: fixum habeat quando diem orditur sibi ipsi legem aptam certamque præscribere. Juxta illud ejusdem à Kempis: (a) *Mane propone, vesperi discute mores tuos.* Sic vincitur
 difficultas

(a) *Ibidem num. 4.*

difficultas prima, quæ nascitur in intellectu. Quicumque enim legem sibi fixerit certam, sigillatimque proposuerit circa cogitationes, verba & opera: lucem & claritatem afferet rationibus, quando illas à se exegerit, excessumque & defectum facile observaturus est.

Remedium jam propositum ad lucem intellectûs ingentem, insignemque in cognitione sui profectum sufficeret: si nullum ab amore proprio poneretur impedimentum. Verum adversarius ille non patitur, æquos nos esse iudices animi nostri. Ah utinam examinaremus nos ipsos sine dissimulatione, sine involucris, sine adulatione: velumque procul removeremus ab oculis, quod amor proprius objicit, cum intuitum interiorem excæcat, & pervertit iudicium rationis! Amoris hujus vitio sæpissimè fit, ut dum in cordis secreto nos ipsos accusamus, simul etiam excusemus: dum reprehendimus, simul adulemur: dum castigamus, simul palpemus: idque etiam in defectibus clarè cognitis perspectisque.

endat
pro-
andi,
divi-
fam,
nfura
ectûs.
andis
tiori-
s ma-
posita
Sunt
at vix
tibus
eque
ccata
etera
pun-
nfti-
à se
ando
cer-
ejul-
one,
citur
ultas

spectis que. Hinc fit etiam, ut indignemur, si iudicium quod de nobis ipsi tulimus, aliorum iudicio confirmetur: neque enim tales haberi volumus, quales revera sumus, qualesque novimus esse nos. Propterea protinus evanescit iudicium jam ante à nobis ipsis latum, aliosque nos censemus quam sumus: neque jam nos ipsos novimus, quando iis adhæremus quæ de nobis alii credunt, qui minimè nos noverunt, Error hic accrescit non parum, ex eo quod indulgeamus & obsequamur affectibus malis. Hi enim, dum non corriguntur, sese occultant: dumque non apparent, persuadent se non adesse. Cæcitatibus hujus ab amore proprio progenitæ remedium efficacissimum est, certare viriliter adversus vitium, quod aperte liquidèque perspiciamus. Exemplo sit: silentium rigidum sibi indicat garrulus fabulator: deprimere se ubivis studeat, qui corde inflato est: mansuetudini incumbat iracundus, &c. Posteaquam enim id ferventer inceperis, experiere protinus & veluti manu continges vim affectuum

affectuum depravatorum & vitiorum
 tuorum: quæ (donèc deerat hoc duel-
 lum) consopita, & veluti mortua vide-
 bantur, ac propterea nequè apparebant,
 nequè sentiebantur: jam apparent &
 sentiuntur. Experimur vitiorum im-
 petum, quandò illorum imperiis relucta-
 mur. Qui enim luctatur, lapsum quem-
 libet ictumque minimum persentiscit:
 qui non luctatur, sinè sensu cadit &
 vulneratur. Rectè ex antiquis Patri-
 bus quidam: Dum patet janua, quili-
 bet ingreditur, nemine sentiente: non
 sic, quandò ostium obseratum est. Hoc
 ipsum ait cordi nostro accidere: paten-
 te enim janua cordis, intrare vitia &
 desideria prava, cordis domino igno-
 rante. Hoc certamen igitur aperit ocu-
 los mentis, ut erratorum numerus &
 gravitas intelligatur. Sicut enim amor
 proprius per conflictus hujus horrorem
 nos excæcat, ne culpas cognoscamus:
 ita superatâ hâc amoris proprii repu-
 gnantiâ, initoque adversus culpas con-
 flictu, ad illarum notitiam facile per-
 venit. Bellum enim hoc virtutis tan-

C

tæ

indig-
 nis ipsi
 netur:
 qua-
 vimus
 nescit
 atum,
 imus:
 ando
 dunt,
 or hic
 ndul-
 malis.
 , sele
 rent,
 citatis
 æ re-
 ertare
 pertè
 o sit:
 rulus
 ideat,
 ni in-
 quam
 riere
 vim
 uum

tæ efficaciam est: ut quantumvis ratio
 per amorem proprium sopita sit, non
 possit jam non excitari à somno, & de-
 duci ad sensum. Hoc remedium for-
 talsè suggerit S. Pater, cum ait: *Per ho-
 ras singulas vestigando, eodem ordine
 quo in examine particulari traditum est.*
 In particulari examine, ut suo loco
 debetur, veluti bellum inicitur ad verum
 vitium, ut extirpetur: propterea quod
 præscribitur, ut errorum numerus in-
 quiratur, & annotetur, procurandum
 ut hic numerus diminuatur in dies. See
 de his alibi. Alteram etiam methodum
 ad eludendas amoris proprii versutias su-
 peraddere possumus, valde efficacem
 multumque usurpatam à Sanctis, hanc
 scilicet: Non gratanter dumtaxat ac-
 mittere monita aliorum, verum etiam
 orare atque urgere ut candidè moneant.
 Tantò enim alter, qui sententiam de
 me pronuntiat, veritati propior est
 quantò remotior ab affectibus, qui ju-
 dicio rectum excæcant: dumque alii
 idem affirmant, quod in me ipse expe-
 rior, tum deniquè huic iudicio meo
 firmitè adhærebo.

Su

Supereſt difficultas à diſtractionibus ſenſuum, & evagatione cogitationum. Eſſi huic malo non parùm illa medeantur, quæ de propoſitis legibusque certis ſibi præfigendis jam dicta ſunt, utpotè quæ ſingularem in examine attentionem conciliant, præcipuè ſi de horâ in horam revocentur ſingula ad iudicium: juverit tamèn monere quantum conferat ad vitam, ſivè ſecundùm vitæ Religioſæ, ſive ſecundùm prudentiæ benè Chriſtianæ dictamen ritè inſtituendam, omnes diei horas in officia certa diſtributas habere, & actiones omnes tempore determinato peragere. Ut adeò dies noſtri & hebdomades typographia quædam ſint, in quâ omnes ſingulæque paginæ archetypon referunt. Confert id plurimùm ad lucroſam uſuram temporis, ad accommodam actionum conſonantiam, ad affectuum perverſorum frænnum, ad cordis æqualitatem, ad ſerenitatem quietemque ſpiritus, & ad alia plura, quæ experientia docebit. Sed in primis adjumento eximio eſt hæc methodus, ut in examine

mox occurrant errata, quæ indagamus. Atque hoc præ tendit S. Pater, dum requirit, ut peccata *per horas singulas* vestigemus, circa cogitationem, loquelam, & operationem. Supponit enim hæc doctrina, actionibus nostris ordine aliquo convenienti suas horas & tempora designata esse: sic enim facilius excutimus singulas. Quemadmodum dum chartam quamdam quærimus inter plurimas, facili negotio illam adsequimur, quandò suis locis & scriniis omnia locata sunt; contra verò difficultatem summam incurrimus, si sua deque singula confusa jaceant: sic etiam in actionibus benè ordinatis facillime deprehendimus, & factum, & factum modum, ceteraque adjuncta: & an hodiernus dies melior, quam hesternus. Qui verò sua temerè, & veluti fortuito facit, quomodò inveniet quæ inquirat? Ne quidem illi ipsi notum est, quid egerit, vel quomodò egerit. *Via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi conruant,* inquit Salomon. (a)

(a) Prov. 4, 19.

po
 tia
 Q
 ge
 ple
 rit
 be
 sta
 co
 bu
 cer
 eg

Hæc ergò sunt quæ adjumento esse
 possunt languentibus, qui conscien-
 tiam non examinant, defectu materiæ.
 Quis enim adeò cæcus sit, qui ubi le-
 ges certas & determinatas sibi præscri-
 pserit, non videat, utrum illas violave-
 rit, nec ne? Quis tam excors, qui re-
 bellionem affectuum non sentiat, ubi
 statuerit cum illis tamquàm adversariis
 congredi? Quis tam distractis sensi-
 bus, ut non facilè illos colligat, si
 certis horis & temporibus sua omnia
 egerit?



CAPUT V.

De vitio circa Punctum tertium ab excessu.

Alterum extremum eorum est, qui enormiter anxii conscientiam adeo vehementer emungunt, ut eliciant sanguinem: & se torquent ut in lucem sibi minutias proferant, quæ reconditæ sunt, & in occulto latent. Originem ducit hic error ex eo, quod sibi fingant ad puritatem nitoremque animi perveniri non posse, nisi quaecumque noxas & cuiusque noxæ mensuram & pondus in examine assequantur: rati in hoc officio hujus adeo laudati exercitii efficaciam versari. Non ita est: inquirendum in culpas fide bonâ, quas absquè his æstibus animi procellosis nosse possumus: visque omnis examinis collocanda in dolore & proposito emendationis de culpis deprehensis. Etenim ex harum cognitione & emendatione lux animo suboritur
nova,

ne
læ
gu
hu
at
au
ta
fir
qu
ad
lu
tic
pr
illa
Q
ve
m
lis
dif
rat
pe
tic
du
git
pa

nova, per quam ocyùs illæ ipsæ macu-
 læ reconditæ, aliæque minutiores dete-
 guntur. Has verò assequi absquè lucis
 hujus accessu, non magis integrum est
 atquè legere librum, aut sinè oculis,
 aut loco obscuro. Etsi enim liber mul-
 ta contineat, multa que inibi legi pos-
 sint: quis tamèn modus ut legantur,
 quantàcumque diligentia & attentione
 adhibitis, si vel oculis caret lector, vel
 lumine? Negari haud potest, occul-
 tiores culpas in corde involvi plurimas,
 præsertim veniales & leviores: verum
 illas quis assequetur, cui lux deest?
 Quo verò conatu ad lucem hanc per-
 veniet, quam Deus, ut ait Job, (a) *in*
manibus abscondit? Quid porrò de il-
 lis, qui indagine suâ cogitationem avent
 distinguere à consensu, motum delibe-
 ratum à non deliberato, libertatem
 perfectam ab imperfectâ, ut mathema-
 ticè definiant culpæ mensuram? Intereà
 dum id agunt, veniunt redeuntque co-
 gitationes eadem, & illam ipsam cul-
 pam renovant, quam examinant: im-

C 4

(a) Job 36, 32.

ab ex-

t, qui

am a-

t, ut

ent ut

, quæ

latent.

quod

emque

qual-

e men-

quan-

ò lau-

Non

de bo-

ni pro-

omnis

z pro-

depre-

itione

oritur

nova,

plicantque iis rebus memoriam, quarum remedium unicum est oblivio. Dum arbitrantur rem acu se tetigisse, implexiores se comperiunt, & tenebris spissioribus involutos quam in principio. Subit enim inquietis novæ progenies, cum reflectunt animum supra hos ipsos examinis sui discursus: dumque descendere nituntur in abyssum impenetrabilem, miserè seiplos submergunt. Hæc omnia quantum vires nostras excedunt, tantum fructu carent, vel certè exilem referunt. Demus enim per hæc omnia perveniri ad culparum quarundam notitiam, ut illas emendemus, & in Sacramento nos accusemus. Quid indè? Cum nihil sit quo obstringamur ad inquisitionem adeo duram & rigidam, præsertim in levioribus. An emolumentum tantulum quidquam habet æstimationis, comparatum cum damnis gravissimis, quæ per istiusmodi examen incurrimus? Hinc enim spiritus veluti suffocatur, cor affligitur, intellectus obnubilatur, voluntas diffidit, totus homo interior coarctatur, ine-

ptul-

P
t
L
t
fi
n
n
n
ri
to
m
ci
di
ve
cu
fu
Id
ti
fu
ce
pr
lu
de
fu
m

ptusque fit ad nobiliora exercitia caritatis, quæ dilatari gestit & ampliari. Laudo te, si vestis maculam eluis: non tamèn si hanc eluendo corrumpis vestem, aut frangis. Laudo, si portione medicâ stomachi pellis humores malos: non sic tamèn ut periculo vitam exponas. Quis mente sanus gladium exerit, ut culicem mactet? Quis lapidem torquet in muscam? Arma viribus inimici conformantur: & ne damnum lucro præponderet, providetur. Aurifodinas subministrat humus, è quibus verum aurum eruitur: verùm adeò parcum, ut expensæ laboris spem lucri superent, & proptereà negliguntur. Idem prorsus suadendum est in exercitiis pietatis. Repudianda in examine sunt ea, utcumquè spem faciant educendi aurum aliquod humilitatis propriæque cognitionis, in quibus exiguum lucri stat impensis enormibus.

Pro remedio mali adeò affligentis, documenta profero quinque, ex iis profluentia, quæ jam tradidimus. I. Examen semper instituatur super proposito

sivè lege determinatà, juxtà illud Apo-
 stoli: (a) *Sic curro, non quasi in incer-
 tum; sic pugno, non quasi aërem verberans.* Docet igitur ad metam deter-
 minatam currendum esse, & decertan-
 dum cum hoste certo. Quamquam
 enim proposita generalia à Deo sæpissi-
 mè suggerantur, ut boni, ut mortifi-
 cati, ut perfecti simus: non tamen ut
 examini subserviant hæc inspirantur,
 sed ut quisque stimulos hosce adaptet
 certis actionibus singulatim. De bo-
 nitate enim, mortificatione, perfe-
 ctione, generatim disquirere, cum ex
 principiis radicibusque admodum dif-
 ferentibus adversus virtutes illas errare
 possit, est currere quasi in incertum,
 & aërem verberare: undè labor oritur
 ingens, fructus nullus. II. Propositum
 sivè lex certa, quæ dirigit examen, sit
 de re particulari, & proportionem ha-
 bente cum statu profectuque nostro
 præsentis. Id monere videtur à Kemp-
 pis. (b) Posteaquam enim dixisset,
 Sempet

(a) I Cor. 9. 26.

(b) l. I. c. 19. n. 3. & 5.

Semper aliquid certi proponendum est, & contra illa precipue, quae amplius nos impediunt, quod ad documentum nostrum primum referendum est: subjungit, Non possunt omnes habere unum exercitium, sed aliud isti, aliud illi magis deservit: quod huic secundo quadrat. Errant igitur, qui æmulari cupiunt, quaecumque vel vident fieri, vel facta audiunt: qui student imitari illustria præclaraque gesta Sanctorum: qui discruciantur immodicè ad inordinati cujusdam affectûs impulsu invitæ subrepentem, cum non satis sollicitè illos doment quos spontaneos habent: qui dum defectibus majoribus etiamnum subduntur, toti sunt in evellendis quibusdam minoribus. Curis illi enim verò se fatigant, in diffidentiam tandem desperationemque rei consequendæ degenerantibus: ut si quis nitatur sinè scalis in altum conscendere. Quamquam enim laude dignum sit ad ipsum perfectionis apicem intendere animum: prudentiæ tamèn debitæque humilitatis est, cognoscere statum præsentem,

l Apo-
incer-
verbe-
deter-
certan-
nquam
capilli-
nortifi-
nen ut
antur,
adapte
De bo-
perfe-
um ex
m dif-
erran-
ertum,
oritur
ositum
n, si
em ha-
nostro
Kem-
xisset,
Semper

& per gradus ad summa conscendere, nequè sinè alis volatum prætere, quod occasionem parit ruinæ. III. Restrindendum examen ad tempus certum: à tempore scilicèt *ex quo surreximus*, usque ad præsens. Sic nimirùm, ut tandem aliquandò finis sit excutiendorum præteritorum, & timendorum futurorum modus: qui solent esse gurgites duo, quibus cogitationes discussusque nostri malè abripiuntur. Postquam iudicio prudentis Confessarii præterita discussa sunt quantum sufficit: ad discussionem diei præsentis totâ attentione animus applicetur. Præterquam enim quod ad unicam hujus diei causam ventilandam hoc iudicium instituat: non alius inveniatur modus, vel aptior, vel facilior, ut & præteritis & futuris rectè provideatur, quam sollicitè incumbendo in diem præsentem. IV. Propositum sive lex non labendi sit ejusmodi, ut intereà persuasum habeat, ex naturæ infirmitate fieri posse ut sæpius relabatur, Proindè, cum reatum suum observaverit, non abiciat
ani-

animum, nequè ultrà modum commo-
 veatur: sed à Dco veniam precetur de
 lapsu, gratias agat de non lapsu, pro-
 positum renovet, & remedia provideat
 pro futuro. V. Circa culpas, quas ex-
 cutit, illas solas inquiret, quas facili
 negotio assequi potest: neque vim sibi
 inferat, ut disquisitionibus superfluis
 cordis fundum scrutetur. Qui fon-
 tem immundum purgat, cœnum indè
 ceterasque immunditias eruit: & quam-
 quam fontis aquam hinc turbari con-
 tingat, non movetur propterea, ut
 terram etiam & arenam ex fundo per-
 gat eruere: nequè enim hâc ratione fons
 clarescet. Ut defæcata & pellucida
 reddatur aqua, remedium unicum est,
 hanc non movere: tum enim spontè
 suâ subsidet, quidquid aquarum nito-
 rem tollit, & post morulam aliquam
 hæ fiet crystallinæ, Hoc ipsium agen-
 dum est, ut anima purgetur. Eximan-
 tur peccata graviora, quæ illam inficie-
 bant: & ex levioribus illa, quæ colle-
 ctu facilia sunt, secundùm propositum
 matutinum, gradumque profectus

præsentis. Et quantumvis hic turbari soleat conscientia, cum ex inquisitione deprehendit reatum suum: non tamen ideò sinè termino producendum examen, sed potius cessandum est ab hoc opere, dandaque animo quies, qui sensim ad serenitatem pacemque deveniet, luceque novâ suboriente firmabitur, & intelliget inanes malèque fundatos timores suos fuisse.

His modis occurritur importunis quorundam curis in hac discussione nimium excrecentibus: docebitque experientia, post adhibitam in hoc puncto tertio diligentiam moderatam, exercitii hujus virtutem, & robur, in quarto quintoque puncto situm esse.

CAPUT VI.

*De Puncto quarto Examinis,
& quid sit Compunctio.*

PUNCTUM quartum Examinis est, *Poscere veniam pro delictis: quintum, Proponere cum Dei gratiâ emendationem.* Ad hæc duo puncta referuntur priora tria, tamquam ad finem. Ut quid enim peccata cognoscere, nisi ut eadem detestemur, & emendemus? Actus hic uterque præcipui passus sunt gradientium viam purgativam, & proposita duo primi ponderis incipientium viam virtutis, & veluti anima Exercitiorum primæ hebdomadæ. Quoniam verò in his vitæ spiritualis exordiis, quæ purgant animam, annis totis, & per vitam omnem immorari non licet, sed ad ulteriora progrediendum est: conducit summoperè fructum hunc utrumque stabilem reddere, & quotidie innovare. Hoc autem fit in Examine, per considerationes quasdam

quosdam & motiva, quæ ex Meditationibus Hebdomadæ primæ selecta in promptu habemus, ut pungamus cor nostrum, & dolorem vivum de peccatis exprimamus. Mirabile videri potest, in hoc opere quosdam mortuorum, quosdam vivorum consimiles esse. Mortuos affimilant, qui feralem mortalis culpæ ictum non sentiunt, adhibitisque adminiculis variis non pulsant ferio aures divinæ misericordiæ, ut per dolorem revertantur ad cor. Alii è contrario, vivorum instar, amaris lacrymis culpas etiam levissimas deslent, atque implent illud Davidis, *compungimini*. Quid sibi velit verbum hoc, interpretatur Chrysostronus in hunc modum.

„ (a) Excita iudicium conscientiæ tuæ
 „ . . . cogitationes malas fodica, &
 „ dilania, & de eis pœnam sume, occide cogitationem quæ peccavit. . . .
 „ Pungite, stimulate quæ in cordibus vestris dixistis punite, animadvertite.
 „ te. „ Verbis aliis atque aliis inculcat hoc unum, examinis hujus comites

(a) In Psalm. 4.

tes esse dolorem castigationemque culp-
parum, ut emendentur: hoc enim sibi
velle Compunctionem. Dicendum igitur
nobis, quid sit Compunctio, quæ
sint ejus impedimenta, quæ adjumen-
ta, quâ ratione semper in nobis con-
servanda sit.

Compunctionem vocamus dolorem
sensibilem, qui cor affligit: vocabulo
desumpto ab eo, qui stylo pungitur.
Idem igitur est Compunctio, quod do-
lor, afflictio, tristitia. Hinc alibi Da-
vid: *(a) Ostendisti populo tuo dura: po-
tasti nos vino compunctionis.* Hoc est
vino amaro tristitiæ & doloris. Sensus
ille tristitiæ, cum ex damnis tempora-
libus, vel ex alieni boni invidiâ oritur,
vanus & perniciosus est, indicatque
animum rebus terrenis affixum, ac
propterea luci cælesti oculos, & divi-
nis inspirationibus aures claudentem.
Ut in Judæis videre est, dolentibus de
jacturâ temporalium, intemperantèr
legem suam zelantibus, & invidenti-
bus Christo Domino, illumque aver-
fantibus

(a) *Psalm 59. 5.*

fantibus. Hoc enim omne Pauli tribuit Spiritui Compunctionis, cum ait: (a) *Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos ut non videant, & aures ut non audiant, usque in hodiernum diem.* Contrà verò, quando dolor ille proficiscitur ex miseriis & damnis spiritualibus, Deique offensâ, sanctus atque utilis est, disponitque vehementer ad lucem divinam, cœlestemque consolationem. Id docet à Kempis, cum ait: (b) *Si vis aliquid proficere, conserva te in timore Dei, & noli esse nimis liber: sed sub disciplina cohibe omnes sensus tuos, nec inepta te tradas letitiæ. Da te ad cordis compunctionem, & invenies devotionem. Compunctio bona multa aperit, quæ dissolutio citò perdere consuevit.* Ad doctrinæ hujus confirmationem sufficiat ipsius Christi autoritas, dicentis: c) *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Et iterum: (d) *Vae vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis* &

(a) Rom. II. 8.

(b) Lib. I. c. 21. n. 1. (c) Matt. 5. 5.

(d) Luc. 6. 25.

& flebitis. Compunctionem utram-
 que, vanam illam & perniciosam, at-
 que hanc solidam utilemque comple-
 ctitur Paulus, his verbis (a) *Qua se-
 cundum Deum tristitia est, pœnitentiam
 in salutem stabilem operatur: seculi au-
 tẽm tristitia mortem operatur. Ecce enim
 hoc ipsum, secundum Deum contristari
 vos, quantam in vobis operatur sollici-
 tudinem: sed defensionem, sed indigna-
 tionem, sed timorem, sed desiderium,
 sed emulationem, sed vindictam. Quali-
 dicat, videte quot quantaque bona nata
 sint per reprehensionem meam. Hęc
 enim operata est sollicitudinem, ad Dei
 gratiam recuperandam: defensionem mei,
 qui vos corripui: indignationem, ad-
 versus peccata: timorem peccandi post-
 hęc: desiderium satisfaciendi: emula-
 tionem, sive zelum corrigendi delin-
 quentes: vindictam deniquẽ in iis ad
 quos pertinet vi officii, ut culpæ per
 pœnitentiam castigentur. Tum con-
 cludit: *In omnibus exhibuistis vos, in-
 contaminatos esse negotio: declarando
 non.**

(a) 2. Corin. 7. 10.

non habere vos partem in illo peccato. En utilitates plurimas, quas teste Paulo generat *tristitia secundum Deum*, sive, quæ nascitur ex peccatis. Verum illa, quæ ex damnis temporalibus provenit, ut damnosa non sit, inutilis certè est. Id eleganter probat Chrysostomus, docens non aliâ de causâ tristitiam à Conditore naturæ nobis inditam esse, nisi ad remedium peccatorum, Audia-
 tur. “ (a) Mortem lugere omittens,
 „ luge peccata, ut ipsa deleas. Propter
 „ hoc enim tristitia facta est, non ut
 „ in morte, aut in ullâ aliâ re tali
 „ doleamus, sed ut ipsâ utamur ad de-
 „ lenda peccata. Et quod hoc verum
 „ sit, exemplo facio manifestum.
 „ Remedia medicinalia propter illos
 „ tantùm morbos facta sunt, quos
 „ tollere possunt: non propter illos,
 „ quos nihil adjuvare possunt. Puta,
 „ adhuc enim manifestiorem volo
 „ rationem facere, medicamentum
 „ oculos lippientium tantùm juvare
 „ valens, nullum alium ob morbum,
 „ sed

(a) *Homil. 5 ad Popul. antè med.*

„ sed propter oculorum ægritudinem
 „ tantum factum esse, negare quis
 „ posset? Non propter stomachum,
 „ nequè propter manus, nequè propter
 „ ullum aliud membrum. Transferamus
 „ igitur rationem ad tristitiam: & in-
 „ veniemus, quod accidentium nobis
 „ nihil adjuvat, peccatum verò solum
 „ corrigit. Certum igitur quod propter
 „ hujus sublationem tantum concessa
 „ est. Percurramus ingruentium nobis
 „ malorum quodcumque, & tristitiam
 „ superaddamus, & videamus quid ex
 „ hâc fiat utilitatis. Mulctatus est
 „ quispiam pecuniis: tristatus est,
 „ mulctam non emendavit. Filium
 „ amisit: doluit, mortuum non re-
 „ suscitavit, nec defuncto profuit.
 „ Flagellatus est quis, alapis cæsus,
 „ contumeliis affectus: doluit, non
 „ revocavit contumeliam. In ægritu-
 „ dinem gravissimam quis incidit:
 „ doluit, ægritudinem non sustulit,
 „ sed & difficiliorem reddidit. Vides
 „ horum nulli prodesse tristitiam?
 „ Peccavit quis, tristatus est: pecca-
 „ tum

„ tum delevit, dissolvit debitum. „
 Haectenus Chrysoſtomus. Propterea
 hanc triftitiam cognitioni peccatorum
 S. P. N. ſubjungit. Sicù enim ſolerti
 medico non ſufficit detegere morbos,
 ſed medendis malis remedium applicat:
 ità etiam hic Medicus non ſolum do-
 cet peccata cognoſcere, quod egerat in
 puncto tertio, ſed in quarto præſcribit
 remedium, triftitiam ſcilicèt & com-
 punctionem.

Hæc compunctio adeò efficax, quam
 Apoſtolus vocat *triftitiam ſecundum*
Deum, ſupponit abeſſe ab intellectu
 tenebras & errorem, quibus impeditur
 diſcretio intèr vera bona & vera mala
 ſic ut animus noverit vera bona hæc
 ſola eſſe, quæ ad finem ultimum con-
 ferunt; ſola mala, quæ huic fini obſunt.
 Hanc notitiam ſupponit primum pun-
 ctum Examiniſ: ubi antè omnia de
 beneficiis ſpiritualibus Deo gratias
 agimus; de temporalibus verò, qua
 tenè ad ſpiritualia confequenda, & ad
 finem noſtrum conducunt. In ſecundo
 puncto fatemur, paucis nos veris bonis
 &

& plurimis veris malis instructos esse :
 ac propterea humiliter lucem petimus,
 ut vera mala nostra noscamus. In tertio
 indagamus, quænam ex his malis in-
 currerimus isto die. In quarto appen-
 dimus vera bona & vera mala, dando
 suum pondus utrisque quod reverâ
 merentur, ut anima compungatur,
 Sicûtenim pars corporis faucia dolorem
 sentit, quandò levissimè tangitur: sic
 animus hâc veritate illustratus, res
 mundanas contemnens, & spirituales
 plurimi faciens, quandò per discussionem
 pluribus veris malis se circumdatum
 videt; per motiva idonea, quæ tibi jam
 antè comparavit, facili negotio dolo-
 ris sensu movetur, & veluti spinis ictis
 ad spiritum compunctionis deduci-
 tur.

Hinc sequitur compunctioni non
 aliud magis obistere, quam cor durum:
 hoc enim obstinatione suâ armatum,
 aculeos qui dolorem animi excitare
 possunt, non persentiscit. Illustris de
 hâc re locus est apud S. Bernardum,
 ubi cordis duri effectus graphicè expo-
 nit.

nit. (a) " Cor durum est, inquit
 „ quod nec compunctione scinditur
 „ nec pietate mollitur, nec movetur
 „ precibus: minis non cedit, flagello
 „ duratur. Ingratum ad beneficia est
 „ ad consilia infidum, ad iudicia fur-
 „ dum, inverecundum ad turpia, im-
 „ pavidum ad pericula, inhumanum
 „ ad humana, temerarium ad divina.
 „ præteritorum obliviscens, præsentium
 „ negligens, futura non providens.
 Hæc Bernardus, primo loco tamquam
 omnium reliquorum caput constituens
 compunctione non scindi, nequè de
 damnis spiritualibus dolere.

(a) *De considerat. l. i. c. 2.*



CAPUT VII.

De tribus impedimentis Compunctionis.

TRia sunt potissimum quibus cor induratur, atque adeo tria quæ compunctionem impediunt: abundantia occupationum, abundantia prosperitatum temporalium, & consuetudo peccandi. De his ita à Kempis, Capite de compunctione cordis. (a) De primo: *Felix, qui abjicere potest omne impedimentum distractionis, & ad unionem se recolligere sanctæ compunctionis.* De secundo: *Felix, qui à se abdicat, quidquid conscientiam suam maculare potest, vel gravare.* De tertio: *Certa viriliter, consuetudo consuetudine vincitur.*

Ad primum quod attinet, occupationum scilicet multitudine cor obdurari, notat etiam Bernardus ad Eugenium Papam, his verbis. (b) „ Hinc
D „ tibi

(a) *Lib. I. c. 21. n. 2.*(b) *De Consid. l. I. c. 2.*

„ tibi timui semper, & timeo, ne di
 „ lato remedio dolorem non sustinem
 „ periculo te irrevocabiliter desperat
 „ immergas. Vereor, inquam, n
 „ in mediis occupationibus, quoniam
 „ multæ sunt, dum diffidis finem
 „ frontem dures: & ita sensim te ipsu
 „ quodammodò sensu prives justit
 „ lisque doloris. Multò prudenti
 „ te illis subtrahas vel ad tempus: qua
 „ patiari trahi ab ipsis, & duci cen
 „ paulatim quò tu non vis. Quam
 „ quo? Ad cor durum. “ Tum re
 „ tis cordis duri miseris, quas ex ill
 „ dedimus suprà, sic concludit. „ E
 „ quo trahere te habent hæ occupatio
 „ nes maledictæ: si tamen pergis, n
 „ cœpisti, ita dare te totum illis, n
 „ tui tibi relinquens. “ Eodem tpi
 „ tu scribit Chrysostomus libro 2 d
 „ Compunctione. (a) Oportet ergò bon
 „ hujus volentem adire principia, priu
 „ animo & mente secedere ab omni
 „ perturbatione ac fluctuatione visibi
 „ lium, atque ad illa conscendere &

(a) *In principio.*

„ penetrare silentia, ubi quies summa,
 „ tranquillitas jugis, pura serenitas. „
 Ratio manifesta est: quânam enim ra-
 tione fraudes rerum illarum, quæ ni-
 hil minus sunt quam quod esse viden-
 tur; & prætereà deceptio mei ipsius,
 qui foris alius meliorque videor, quam
 intus sum, in mediâ tot occupationum
 inquiete detegi possunt: cum in ipso
 profundo silentio summâque tranquilli-
 tate operosè laborantes vix hæc assequa-
 mur? Præsertim, cum occupationes
 negotiaque externa similia sint fluctibus
 maris: qui, si te illis committis,
 paulatim magis magisque te à littore
 removent, ita ut, cum in profundum
 te detrusum compereris, nec velis nec
 possis ad terram remeare. „ Nonnulli,
 „ inquit Gregorius, (a) toto cordis
 „ adnitu sæcularibus curis inserviunt.
 „ Has, cum adsunt, se agere exultant:
 „ ad has, etiam cum desunt, diebus
 „ ac noctibus cogitationis turbidæ æsti-
 „ bus anhelant. Cumque ab his,
 „ cessante forsitan opportunitate, quie-

D 2.

„ ti

(a) *Pastoralis cura part. 2. c. 7.*

„ ti sunt , ipsâ deterius suâ quiete fa-
 „ tignantur. Voluptatem namque cer-
 „ sent si actionibus deprimuntur : la-
 „ borem deputant, si in terrenis ne-
 „ gotiis non laborant. Quod cum
 „ magno dolore Jeremias Prophe-
 „ ticus, quasi sub destructione
 „ templi deplorat, dicens : a) *Quo-*
 „ *modo obscuratum est aurum, mutatum*
 „ *est color optimus, dispersi sunt lapides*
 „ *Sanctuarii in capite omnium platearum?*
 „ *..... Aurum igitur obscuratur*
 „ cum terrenis actibus sanctitatis vi-
 „ polluitur..... Cum quilibet po-
 „ sanctitatis habitum terrenis se actibus
 „ inserit, quasi colore permutato ante
 „ humanos oculos ejus reverentia de-
 „ specta pallefcit. Sanctuarii quoque
 „ lapides in plateas disperguntur, cum
 „ causarum sæcularium foros, lata in-
 „ nera expetunt hi, qui ad ornamen-
 „ tum Ecclesiæ internis mysteriis
 „ quasi in secretis Sanctuarii vacan-
 „ debuerunt. “ Verum his missis
 „ sufficiat dicere ad propositum nostrum

(a) *Thren. 4: 1.*

quo

quod quemadmodum humus, quæ in plateis præterredientium pedibus perpetuò calcatur, sensim indurescit, & lapidescit: ità etiam, longèque magis indurescant corda, quæ negotiis assiduis implicantur, tantòque à compunctione remotiora sunt, quantò negotiis illis tenacius adhærent.

Prætexunt illi excusationes varias, quas accuratè refellit à Kempis (a) Antè omnia allegant utilitatem proximi, propter quam laudabile sit deserere otium & quietem. Quasi verò laudem mereatur, te negligere, ut alteri profis. *Habeas, inquit, semper oculum super te primum, & admoneas te ipsum specialiter, præ omnibus tibi dilectis.* Certum est eos qui suorum ipsorum obliti in proximorum commoda effunduntur, irretiri negotiis ad se non pertinentibus, nequè sibi commissis, sensimque etiam implicari majorum & superiorum suorum curis. Propterea ait: *Non tibi attrahas res aliorum, nec te implices curis majorum.* Caritatis benè ordinatæ

D 3

of-

(a) Ibid. n. 3.

ficia numquam ità excreſcent, neque
 mentem adeò ablorbebunt, ut ſuffocent
 ſpiritum compunctionis: dummodò ab
 iis, quæ vel aliorum, vel majorum
 ſunt, abſtineatur. Quapropter plurimi
 de hâc veritate convicti, occupationum
 tamen retibus intemperanter impliciti,
 aliorum importunitates cauſantur, quæ
 ab invitis, & reluctantibus officia hæc
 extorqueant: atque hoc fraudulentò
 velo, & ſibiipſis imponunt, & ceteris
 imponere ſtudent. Hinc ſubjungit
 idem: *Si tu ſcis homines dimittere, ipſi
 te dimittent tua facta facere.* Explora-
 tum eſt haud minus, labore diligentia-
 que non exiguâ opuſeſſe, ut memoria
 favorique hominum velificemur; rem
 verò eſſe perfacilem, aliorum negotia
 derelinquere: neque aliam ut homines
 nos deſerant diligentiam poſtulari, quam
 ut illos deſeramus. Hinc ſi veritati
 locum damus, fatendum eſt, nos
 propterea non renuntiare hominibus,
 ne ipſi nos deſerant. Addit igitur
 pientiffimus ſcriptor: *Si non habes fa-
 vorem hominum, noli ex hoc triftari:*
ſed

*Sed hoc tibi sit grave, quia non habes te
satis benè & circumspèctè, sicut deceret
Dei servum.* Doctrinam hanc circà
occupationum frequentiam, ex libello
illo aureo huc transferendam putavi:
quia de compunctione loquens, quam
tractamus, nihil eorum prætermittere
videtur, quæ faciunt ad hanc mate-
riam.

Non ab occupationibus superfluis
dumtaxat cor induratur, verum etiam
à felicitatis terrenæ, lætitiæ vanæ, &
carnalium concupiscentiarum affluxu:
his enim compunctio, justusque de
peccatis dolor similiter sustocantur.
Rationem ex Chrylostomo audiamus.

(a) “Sicut impossibile est, ut ignis in-
” flammetur in aquâ: ita impossibile
” est compunctionem cordis vigere in
” deliciis. Contraria enim hæc sibi
” invicem sunt, & peremptoria. Illa
” enim mater fletûs, hæc mater est ri-
” sûs: illa cor constringit, hæc dissol-
” vit: illa animæ alas annectit, & vo-
” lare facit in cælum: hæc ei plumbi

D 4

” pon-
(a) *De Compunctio. l. 2. antè med.*

„ pondus imponit, & demergit in in-
 „ fernum. “ Pluribus hæc prosequitur
 idem S. Pater. Quantò inimicus hic
 blandior, naturæque propensionibus
 accommodatior; tantò etiam validior
 est, pluresque victorias numerat, nisi
 strenuè repugnemus. Optimè hic ob-
 servat idem à Kempis, huic hosti
 nostro vires tantas esse, (a) *propter le-
 vitatem cordis*, quod facilè rebus ju-
 cundis abripitur, cum tamen in hoc
 exilio, tot inter culpas, totque illarum
 poenas, innumeræ lacrymandi causa
 occurrant: veramque contritionem sen-
 tiendi, non tantum non possit afferre
 gaudium mundana prosperitas, sed
 potius tristitiam augeat, & dolorem.
 Hinc autor idem ità scribit: (b) *Ne
 inepta te tradas letitia. Da te ad cordis
 compunctionem, & invenies devotionem
 Mirum est quod homo potest un-
 quam perfectè in hac vitâ letari: qui
 suum exilium, & tam multa pericula
 animæ suæ considerat, & pensat. Pro-
 pter levitatem cordis, & negligentiam*

(a) num. 2.

(b) num. 1.

defectuum nostrorum, non sentimus animæ nostræ dolores: sed sæpè vanè ride-
mus, quando meritò flere deberemus.

Non est vera libertas, nec bona lætitia,
nisi in timore Dei cum bonâ conscientia

Et infra: (a) Quando homo est perfectè
compunctus, tunc gravis, & amarus est
ei totus mundus. Etenim hunc Deus
lacrymis nutrit, veluti cibo & potu, se-
cundum mensuram. Ciboque illo, &
potu tantoperè roboratur, ut nihil dul-
ce videatur, nisi quod lacrymas ciet;
nihil amarum, nisi quod has exsiccat.

Tribus modis, veluti totidem anti-
dotis, reprimitur inepta lætitia, quam
consolationes mundi, carnisque volup-
tates progenerant. I. Adversitatibus à
Deo immixtis, per jacturam bonorum,
honoris, sanitatis, aliasque, quæ in-
tentionibus, gustuique nostro repu-
gnant, voluntatem vitiosam infringunt,
viamque interturbant quam gradieba-
mur. Tantumdem enim hoc est, at-
què saburrare navem, ne vento prospe-
ro evertatur: pondusque cordi adjice-

D 5

re,

(a) num. 4.

re, ut ne levitate suâ extrâ se vagetur, sed intus in seipsum reflectat, vanitatem apparentium bonorum intelligat, veraque mala deplorare discat. Hinc idem laudatus scriptor: (a) *Utilius est sepe & securius, quod homo non habeat multas consolationes in hac vita, secundum carnem præcipuè. Divinis enim consolationibus destituimur, ex eo, quod contritionem cordis non quaerimus, neque consolationibus terrenis sincerè renuntiamus. II. Per poenitentiam corporalem, quâ doloribus, & asperitatibus corpus affligitur. Maximo perè enim juvatur anima, ut deplorat peccati culpam, dum corpus sentit peccati poenam. De quo sic auctor idem. (b) Si futuras inferni sive purgatorii poenas cordialiter perpenderes, credo quod libenter laborem, & dolorem sustineres, & nihil rigoris formidares. Sed quia ad cor ista non transeunt, & blandimenta adhuc amamus, ideo frigidi & valdè pigri remanemus. III. Cordis denique levitati directè opponitur, id quod*

(a) num: 3.

(b) num. 5.

quod S. P. Ignatius præscribit Additio-
ne 8, Hebdom. primæ. *Ut à risu, ver-
bisque risum provocantibus maximè ab-
stineam.* Pœnitentiis quidem corpo-
ralibus, aliisque rigoribus permittit
Sanctus in Exercitiis plus & minus,
secundum differentiam exercitiorum,
& exercitantis dispositionem: sed in
hoc consilio suo requirit constantiam,
vultque illud omni tempore, & in om-
nibus exercitiis manuteneri. Spiritus
veritatis maximè ferius est, & joco-
rum levitati maximè adversatur. Ver-
ba enim risum provocantia risûs mater
sunt: risus verò neverca compunctio-
nis.

Tertium, quo cor induratur, con-
suetudo peccandi est: & veluti lapis se-
pulchralis spiritui mortuo superpositus.
Hic antè omnia tollendus est, si desi-
deramus ut Lazarus noster resurgat. De
quo Bernardi ad Papam Eugenium ver-
ba aurea audiamus. (a) „ Quid non
„ evertit consuetudo? quid non affi-
„ duitate duratur? quid non usui ce-

D 6

„ dit?

(a) *De consid. l. 1. c. 2.*

agetur,
vanita-
elligat,
Hinc
ilins est
habeat
secun-
s enim
ex eo,
quæri-
terrenis
pœni-
bus, &
Maxi-
deplo-
s sentit
auctor
purga-
, credo
z susti-
s. Sed
blan-
idi
Cordis
r, id
quod

„ dit? Quantis, quod præ amaritudine
 „ prius exhorrebant, usu ipso in dul-
 „ ce conversum est? Audi justum,
 „ quid lamentetur super hujuscemodi,
 „ (a) *Quæ prius tangere volebat anima*
 „ *mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.*
 „ Primum tibi importabile videbatur
 „ aliquid: processu temporis si assue-
 „ scas, judicabis non adeò grave: pau-
 „ lò post, & leve senties: paulò post
 „ nec senties: paulò post etiam dele-
 „ ctabit. Ita paulatim in cordis duri-
 „ tiam itur. “ Hactenus Bernardus:
 objiciens oculis, quod quotidie agitur
 in secreto cordis. Uti enim facile est
 compungi, quandò aliquid commissum
 est, quod intolerabile judicamus; ita
 perdifficile, ne dicam impossibile, si-
 id, quod commissum est, censes esse leve,
 multòque magis si existimas bonum, &
 delectabile. Quemadmodum enim
 consuetudo facit ut intellectus torpeat
 ad rectè judicandum: ita eadem efficit,
 ut sensus piger sit ad dolorem. Qua-
 propter, sicut mensura propositi, men-
 sura

(a) *Iob. 6. 7.*

sura profectus est, (ut supra dicebamus,) quantoque propositum perfectius fuerit, tanto leviores in examine defectus deteguntur: ita etiam quanto propositum fuerit fortius, tantum ejus violati dolor augebitur: & proponere magna necesse est, si compungi de minoribus volumus: neque permittendum ullatenus, ut consuetudo callum obducatur, qui doloris sensum stupefaciat.

Ex dictis patet unde fiat, ut post defectus jam cognitos, sæpenumero durtiam ad dolorem, & lacrymas experiamur. Occupationum scilicet affluxus, abducit nos extrà nos, & tristitiam suppressit, quæ tamen interius parturit. Prosperitates temporales sensuumque illecebræ inaniter recreant, spiritumque privant culparum libramento, quod compunctio secundum Deum requirit. Consuetudo mentem offuscatur, ut non existimemus novum, quod in usu positum est: neque admiremur, quod quotidie oculos subit: neque facti pœniteat, cujus tot exempla occurrunt. Deniquè compunctionis sanctæ

affectus non est istiusmodi, ut illam in
 examine subito comparare possimus ad
 quamcumque animæ dispositionem
 Occupationum torrens, ut hoc fiat,
 sistendus est, qui collectionem spiritus
 impedit. Castigandum corpus, dele-
 ctationes sensuum mortificandæ, con-
 temnendus blandientis fortunæ flatus,
 ut adversus levitatem cordis ad doloris
 sensum hauriendum iusto pondere ani-
 mus temperetur. Leges rigidæ, pro-
 positaque perfecta concipienda sunt,
 ut cor emollescat, & sentiendi virtu-
 tem habeat in defectibus etiam leviori-
 bus. Quod si forsitan officii & condi-
 tionis necessitas, curis occupationibus-
 que plurimis obstrictos nos teneat,
 pompamque, & fastum mundi requirat:
 alia hic majorque difficultas subnascitur.
 Ea enim etiam tunc libertas cordi pro-
 videnda est, ut inter negotia otiosum,
 & in mediis turbis solum sit, & inter
 blandimenta sensuum, spinæ animum
 fodicantis aculeum persentiscat. Rectè
 alicubi Seneca: Si jure merito æstiman-
 dus est, qui eadem animi æquitate va-
 fis

sis luteis utitur; atque si ex auro argen-
 tove conflata forent; non minoris pro-
 fectò, sed verò pluris etiam faciendum,
 elatione cordis non majore vasis aureis
 uti, quam si lutea essent. Idem in pro-
 posito nostro uluvenit. Multum est,
 applicare seriò animum uni negotio
 interiori, & sepositis ceteris omnibus
 huic uni sic intendere, atque si com-
 pluribus occupationibus spiritus disti-
 neretur: sed non minus est inter nego-
 tia plurima servare animum liberum,
 & rerum undequâque confluentium
 curis superiorem, tamque sedulò ad
 interiora attentum, atque si tantum me-
 dò sibi vacaret. Multum est in soli-
 tudine vitare hominum præsentiam, &
 affatum: sed non minus, inter medios
 occurrentium strepitus, his non abripi,
 sed solitudinem cordis constanter tueri.
 Multum est renuntiare gustui, sen-
 suumque irritamentis: sed non minus,
 inter illa non deviare, neque absce-
 dere à lacrymis & dolore, servareque
 compunctionem. Etenim si prudentia
 est declinare ignem, ne lædat, ex-
 cellen-

illam in
 imus ad
 tionem
 oc. fiat
 spiritus
 , dele-
 , con-
 flatus,
 doloris
 ere ani-
 , pro-
 sunt,
 virtu-
 eviori-
 condi-
 nibus-
 neat,
 quirat
 scitur.
 i pro-
 osum,
 inter
 mum
 Rectè
 man-
 e va-
 sis

cellentissima profectò virtus, imò prodigium est, inter flammam vivere, & non uri. Sicut enim *musica in luctu importuna narratio*, (a) sic & luctus importunus in musicâ: hæc enim duo sibi mutuo adversantur. Si igitur virtutis magnæ opus censetur, ut revera est, ad proliciendum peccatorum planctum mundi musicam fugere, sonitumque tubæ, & fistulæ, & citharæ, sambucæ & psalterii, & symphoniz, & universi generis musicorum adorantium statuam: (b) non minor profectò virtus est, sed fortassè longè major, si musicæ hujus importunitas, cum assiduè aures verberat, non exsiccat lacrymas, nequè impedit compunctionis dolorem. Non est enim verò quod de assequendo hoc gradu perfectionis desperemus: dummodò ex officii statûsque debito, non verò ex levitate cordis, his fluctibus involvamus. Illustre dedit in hoc genere exemplum sanctus Rex David: quod egregiè ponderat Chrysostomus
 „ his

(a) *Eccl. 22. 6.*(b) *Daniel. 3. 4.*

his verbis (a „ Si propositum quietis
 „ gerat quis, nec in urbis habitatione
 „ turbabitur. Sicut & beatus David,
 „ qui non solum in urbe positus erat,
 „ sed & regni curas sollicita admini-
 „ stratione tractabat, & tamen multò
 „ ardentior in compunctione erat cor-
 „ dis, quam hi, qui solitudines viden-
 „ tur habitare. Illas enim lacrymas
 „ ejus, & illos tam uberes fletus, qui-
 „ bus & in die flebat, & in nocte
 „ numquam cessabat vix aliquis habet
 „ nunc eorum, qui cum Christo cru-
 „ cifixi videntur. Non enim solum
 „ hoc consideres, quod lugebat, &
 „ flebat: sed quis erat ille qui flebat,
 „ & quid agens lugebat. “ Cumque
 sanctus hic Doctor enarrasset compun-
 ctionis impedimenta quæ Davidem cir-
 cumsidebant, negotia regni in pace &
 bello, rerum omnium abundantiam,
 & delicias aulæ regalis, subjungit:
 „ Sed & illud commemorationem no-
 „ stram non effugiat, quod tanta cordis
 „ compunctio illo tempore etiam in
 „ Regi-

(a) *De Compunct. l. 2. ante med.*

„ Regibus fuit, quo nihil ita magnum
 „ & eximium lex tunc posita à cultori-
 „ bus suis deposcebat. Nostri verò
 „ agonis tempus, in quo adscripti vi-
 „ demur, etiam pro risu poenam ha-
 „ bet, laudem verò pro luctu, & pro
 „ tribulationibus salutem confert. Et
 „ tamen ille beatus David, cunctis
 „ quæ eum circumstare & constringere
 „ videbantur abruptis, ità erat in po-
 „ testate positus, tamquam omnibus
 „ esset ipse subjectus, & in solio regali
 „ erat ut vinctus in carcere, & in pur-
 „ purâ quasi in cilicio jacebat, cinere
 „ conspersus, & corde compunctus,
 „ aula regalis erat ei tamquam eremi-
 „ vastissima solitudo. “ Hactenus ille
 „ exemplo Regis hujus docens, & convin-
 „ cens, defectui ignaviæque nostræ æquè
 „ adscribendum esse utrumque, sive
 „ quandò nobiscum habitantes, atquè intrà
 „ nos commorantes, diverticula sensuum,
 „ & superfluas occupationes admittimus;
 „ sive quandò curis obligantibus violentè
 „ immerfi, peccatorum sensu spiritu-
 „ que compunctionis privamur.

Sub-

Subjiciamus igitur stimulos nobis-
 ipsis, ad assequendum hunc perfectio-
 nis gradum: cor conservemus liberum,
 inter servitatem negotiorum: eaque
 inter curas maximas cura sit omnium
 potior, divinum beneplacitum in o-
 mnibus quærere, & gloriam Dei. *Do-
 mine*, inquit à Kempis, (a) *hoc opus est
 perfecti viri, numquam ab intentione
 caelestium animum relaxare, & inter
 multas curas quasi sine cura transire: non
 more torpentis, sed prerogativâ quâdam
 liberae mentis, nulli creaturae inordinatâ
 affectione adherendo. Ubi enim resi-
 det affectus, ibi sentitur dolor. Quia
 igitur rebus internis non afficimur,
 hinc fit, ut desint lacrymæ ad damna
 spiritualia deploranda, & lamenta inu-
 tilia temporalium damnorum abundant.
 De quo queritur idem autor: (b) *O
 Domine*, inquit, *quousque venimus?
 Ecce damnum defletur temporale, pro
 modico questu laboratur, & curritur, &
 spirituale detrimentum in oblivionem
 transit,**

(a) lib. 3. c. 26. n. 1.

(b) lib. 3. c. 44. n. 2.

transit, & vix sero reditur. Quod parum vel nihil prodest attenditur: & quod summè necessarium est, negligenter præteritur. Quia totus homo ad exteriora defluit: & nisi citò resipiscat, libens in exterioribus jacet. Hæc de Compunctionis impedimentis sufficiant, ad motiva ejus veniamus.

C A P U T VIII.

De Motivis Compunctionis, & doloris de peccatis: & de Puncto quinto Examini.

Loquendo generaliter, hæc Motiva duo sunt. Primum est timoris, ex multitudine, & gravitate peccatorum, pœnarumque consideratione: & hoc proprium est incipientium. Secundum, amoris; ex desiderio placendi Deo propter se, & propter beneficia ab illo percepta. Amor hic, cum accenditur, erumpit in desideria inflammata visionis divinæ, & unionis cum summo
bo-

bono per nexus indissolubiles æternæ caritatis: atque hæc compunctio propria est perfectis. Hæc duo motiva, ut Gregorius docet, significata sunt per duo illa altaria, quæ Moyles jubente Domino, coram tabernaculo extruxit.

„ (a) In tabernaculo fœderis duo altaria fieri à Domino jussa sunt, adolendis scilicet thymiamatibus unum, alterum comburendæ carnis. Primum altare foris erat, secundum intrâ Sancta Sanctorum. Altare ergò primum compunctio timoris est: altare secundum, compunctio amoris. Illud quippè peccata lugentium est: illud verò æterna gaudia totis desideriis inhiantium. Illius lapides, recognitiones peccatorum: hujus lapides, meditationes perennium gaudiorum. “ Explicatius alibi hæc proponit idem S. Pater, additis rationibus & expressionibus ab experientia fervoreque proprio promanantibus. (b) „ In „ multas species, inquit, compunctio „ divi-

(a) *In caput 14. 35. libri. 1. Reg.*

(b) *Lib. 3. Dial. c. 34.*

„ dividitur, quandò singulæ quæque
 „ pœnitentibus culpæ planguntur.....
 „ Principaliter verò compunctionis
 „ genera duo sunt. Quia Deum si-
 „ tiens anima prius timore compungi-
 „ tur, post amore. Prius enim sese
 „ in lacrymis affligit, quia dum gra-
 „ vitatem malorum suorum recolit,
 „ pro his perpeti æterna supplicia
 „ pertimescit. At verò cum longâ
 „ mœroris auxietate fuerit formido
 „ consumpta, quædam jam de præ-
 „ sumptione veniæ securitas nascitur,
 „ & in amore cælestium gaudiorum
 „ animus inflammatur. Et qui prius
 „ flebat, ne duceretur ad supplicium;
 „ postmodum amarissimè flere incipit,
 „ quia differtur à regno. Contempla-
 „ tur etenim mens, qui sint illi An-
 „ gelorum chori, quæ ipsa societas
 „ beatorum spirituum, quæ majestas
 „ æternæ visionis Dei, & amplius
 „ plangit, quia à bonis perennibus
 „ deest, quam flevit prius cum mala
 „ æterna metuebat. Sicque fit, ut
 „ perfecta compunctio formidinis,
 „ tradat

„ tradat animum compunctioni dile-
 „ ctionis. “ Juxtà hanc doctrinam
 Gregorii, facilius compunctione tan-
 getur, qui timoris, & amoris usu fuerit
 magis exercitatus. Dolorem enim
 culparum facilè sentiet, qui damna sua
 metuit, lucrum suum amat, & super
 omnia Dei sui obsequium, & gloriam
 concupiscit.

Notandum verò, Compunctionis
 materiam, quandò nascitur ex timore,
 ordinariè esse peccata, vel præsentia,
 vel præterita, quæ periculum creant
 damnationis; itemque culpas veniales,
 præsertim frequentiores, & deliberatas:
 tum quia poenæ purgatorii gravissimæ
 his respondent, tum etiam quia dispo-
 nunt ad mortale, & consequenter ad
 damnationem. At in animabus perfe-
 ctioribus, quandò compunctio jam
 nascitur ex amore, materia ordinaria
 sunt peccata præterita, etsi condonata
 existimentur; quia semper dolent,
 Deum his offensum fuisse: item, pec-
 cata aliena, tum quia Deum offendunt,
 tum quia proximo damnum afferunt,
 item

æque
 tur....
 ctionis
 um si-
 pungi-
 im sefe
 n gra-
 ecolit,
 pplicia
 longâ
 rmido
 e præ-
 scitur,
 iorum
 i prius
 icium;
 acipit,
 mpla-
 i An-
 ocietas
 ajestas
 nplius
 nibus
 mala
 t, ut
 linis,
 tradat

item imperfectiones propriæ, negligentiaque præsentis; quia vident non esse se, quod tamen esse desiderant, & Dei gloriam: item beneficia divina quibus non responderunt ex debito suo: item exilium hujus vitæ quod protrahitur, & cælestis patriæ securitas quæ differtur: imò sola cogitatio, si adhuc posse ut Deum offendant, & Dilecto suo priventur. Hos, qui statum hunc contigerunt, affligit compungitque magis, quam alios primum inchoantes affligat compungatque peccatum ipsum, Dei que jactura. Ad hæc igitur capita reducitur doloris, & compunctionis materia ordinaria, siue illam timor eliciat, siue amor. Timor enim dolorem generat propter periculum damnationis; amor verò Dei, & proximi, dolere facit de peccatis nostris & alienis, quia Deum dilectum offendunt, & malum gravissimum proximo afferunt; & quia hæcenus destituimus virtutum perfectione, quam & divina bonitas meretur, & nos Deo debemus. Dicenda nunc aliqua de ratione, qua
motiva

mo
jan
do
Ce
pe
E
E
jac
va
riv
sol
ux
ct
"
"
"
"
"
"
"
"
"
"

motiva Compunctionis ex capitibus jam dictis depromenda sint, secundum doctrinam S. Chryostomi, qui de Compunctione fusè scribit in libris super hoc argumento.

Ante omnia, *Materia justii doloris, & interna compunctionis sunt peccata & vitia nostra, quibus ita involuti jacemus, ut raro caelestia contemplari valeamus,* inquit à Kempis. (a) Motivum hoc eleganter prosequitur Chryostomus, ab exemplo illorum, qui uxorem, maritum, aut liberos defunctos deplorant. (b) “ Requiramus, ” inquit, à lugentibus, istos dico pro charorum suorum amissione lugentes, & in egestate positos, & non querelsumque homines, sed illos ipsos potentes & divites, & in deliciis agentes, qui ventri & voluptati vivunt, qui prandia usquè ad vesperam, cœnas in medium noctis extendunt, qui aliena diripiunt, & propria profundunt: istos ipsos interrogemus, ” si

(a) *lib. 1. c. 21. n. 4.*

(a) *De Compunc. l. 1. in fine.*

„ si quandò aut unicum pater filium
 „ aut uxor ereptum citò plorat ma
 „ tum ; quomodò , velut fulmin
 „ quodam ictâ animâ , aufugiunt con
 „ tinuo , nec usquam apparent omne
 „ illæ molles & dissolutæ deliciae. Nu
 „ quam ventris cura aut sollicitudo
 „ carnis habetur : sed acerrimæ conc
 „ nentiæ introducitur philosophia
 „ abstinetur ab omnibus , aguntur es
 „ tensa jejunia , juges vigiliæ , hum
 „ requiescitur , summum silentium
 „ quies magna , humilitas ultima
 „ mansuetudo ineffabilis , miseratio
 „ immensa. Etiam si auferantur o
 „ mnia , etiam si diripiantur , nihil pro
 „ his animus curat , nihil movetur
 „ etiam si igne concrementur universa
 „ & census pariter cum domibus pereant
 „ non indignatur , non irascitur.
 Dein post allatas rationes causasque
 tantæ mutationis , sic pergit : “ Un
 „ sola cogitatio , unus intuitus imagi
 „ defuncti est. Ille vultus ante oculos
 „ ponitur ; ille aspectus menti atque
 „ animo exhibetur , ille ei cibus , ille
 „ potus

„ potus est. Quod si somnus fuerit ,
 „ somnia inde ducuntur : ibi omnis
 „ requies , ibi omne solatium , ibi
 „ gloria , ibi divitiæ , ibi potentia ,
 „ ibi omnes deliciae collocantur. Sic
 „ oportebat & nos salutem nostram
 „ lugere perditam , atque animam no-
 „ stram mortuam lamentari , ut nihil
 „ amplius dicam. Exhibeamus ani-
 „ mæ nostræ , quod illi exhibent car-
 „ ni alienæ. An non extremæ mise-
 „ riæ est , ut hi quidem qui filios aut
 „ uxores lugent , ad nihil aliud occu-
 „ pent mentem suam , nisi ut defun-
 „ ctos suos quasi intueantur , & illos
 „ semper animo , & cogitatione con-
 „ spiciant ? nos verò , quibus salus
 „ mortua , & regni cælorum spes ex-
 „ tincta est , omnia magis quam hoc
 „ cogitamus. „ Hucusque Chrylосто-
 „ mus , ex cujus eloquenti stylo , & si-
 „ militudine quam proponit , datur col-
 „ ligere , pro meditatione de peccatis
 „ compositionem loci peridoneam esse ,
 „ cernere animam nostram in corpore
 „ corruptibili velut cadaver in sepulcro.

Secundò, Motivum justi doloris etiam sunt peccata, & calamitates proximi: quod nemo negabit, qui aliquo sinceræ caritatis affectu tangitur. Liquet hoc ex ipsius Christi exemplo qui flevit super civitatem Jerusalem recogitans ejus culpas, & earum penas imminentes. Flevit itidem super Lazarum mortuum, cujus mors corporalis figura erat animæ mortuæ peccatum. Et verò certum est eos, qui luce cælesti illustrati cognoscunt rerum præsentium vanitatem, & futurarum veritatem, affligi animo, quando vident usque adeò inverti omnia in hoc mundo: tantam esse Dei oblivionem, tantum spiritualium æternarumque rerum contemptum, tam effræscam possessionum temporalium sitim, dissolutionem tantam in omni genere voluptatum, tantam libertatem peccandi. Audiamus Chrysostrum super hoc, qui has temporum suorum calamitates deplorans, prophetice loquitur de temporibus etiam nostris (a)

(a) De Compunct. lib. I. initio

„ Tantam malorum labem , tantaque
 „ videmus quotidie flagitia cumulari :
 „ quæ si velis considerare per singula,
 „ numquam poteris à lacrymis tempe-
 „ rare. Sic enim omnia confusa , sic
 „ sunt cuncta resoluta , ut ne vesti-
 „ gium quidem virtutis usquam videas,
 „ nequitiâ verò & luxuriâ repleta esse
 „ cuncta perspicias. Et quod est in-
 „ felicius ; perurgentium nos malo-
 „ rum jam nec ipsi sensum capimus ,
 „ nec aliis præbemus , nec alios mo-
 „ nemus : sed sumus velut corpus ,
 „ extrinsecus quidem vestimentis ad-
 „ ornatum , intrinsecus verò tabe
 „ pessimi languoris absumptum. Et
 „ contingit nobis , quod illis solet ,
 „ qui vel phrenesim patiuntur , vel
 „ mente capti sunt : à quibus cum
 „ multa turpia , & periculosa vel dicantur,
 „ vel etiam gerantur , nec pudoris
 „ tamen aliquid , nec pœnitudinis
 „ capiunt ; quinimò & magnifici sibi
 „ ac sapientiores sanis videntur ac
 „ sapientibus. Ita & nos , cum omnia
 „ quæ sanitati contraria sunt ge-

dolori
 tes pro
 u aliquo
 r. Li
 templo
 ulalem
 am pœ
 n supe
 ors cor
 uæ pe
 st eos
 noscum
 & futu
 , quan
 nnia in
 obliuio
 narum
 rramen
 n , dil
 gener
 peccar
 n supe
 n cala
 loqui
 tris (4)
 Tan-
 o

„ ramus : nec hoc ipsum quidem
 „ quod deest nobis, sanitatem nomi-
 „ namus. At enim, si fortè in cor-
 „ pore parum aliquid morbi pulsaverit
 „ statim & medicos adhibemus, &
 „ pecunias profundimus, & omni
 „ observantiâ quod competit gerimus
 „ nec prius cessatur, quam quæ mo-
 „ lesta sunt mitigentur. Anima vero
 „ cum quotidie vulneretur, cum per
 „ singula lanietur, uratur, præcipite-
 „ tur, & modis omnibus pereat: ne
 „ parva quidem pro eâ nos cura solli-
 „ citat. Sed horum omnium causa
 „ illa est, quod omnes pariter hic
 „ morbus obtinuit. Et tamquam si
 „ accidat, multis sub uno morbo
 „ languentibus præsto esse neminem
 „ sanum, certum est quod omnes pa-
 „ riter corrumpat, & absumat incuria,
 „ dum nemo est qui vel opportuna
 „ præbeat, vel importuna prohibeat:
 „ ita & in nobis, dum nemo sanus
 „ est, sed omnes languemus, alii
 „ majore, alii minore ex parte, ne-
 „ mo est qui curet: omnes enim in-
 „ digent

„digent curâ. „ Plura addit hic Doct-
 tor, sed hæc sufficiunt, ut liqueat
 quam uberem doloris, & lacrymarum
 materiam suppeditet corruptio morum
 hodierna, Dei oblivio, ejusque man-
 datorum contemptus. Cæcus est, qui
 hoc non videt: durus, qui non inge-
 miscit. Ex iisdem verò principiis ori-
 tur, non tangi peccatis suis, & non
 tangi alienis: utrumque enim à levi-
 tate cordis provenit. Causam doloris
 auget, quod culpas insequantur pœnæ,
 mundusque omnis, ut peccatis, ita
 castigationibus plenus sit: nequè ta-
 men homines his moventur magis,
 quam culpis ipsis. *A plantâ pedis us-
 que ad verticem non est in eo sanitas,*
 inquit Isaias: adduntur tamen peccatis
 peccata nova, cum jam Deus non ha-
 beat novas pœnas, postquam omni
 suppliciorum genere nocentes punivit.
 Quis talia spectans temperet à lacry-
 mis? Omnem profectò humanitatem
 is exuisset, qui aulam ingrediens affli-
 ctis refertam, quorum alios Chirurgus
 ferro candente ustulat, alios pedibus,
 E. 4. alios

alios brachiis mutilat, inter omnium
 ejulatus in risum solus prorumperet.
 item ille, qui carcerem ingressus, in-
 terea dum tortor hos eculeo, hos tor-
 mentis aliis afficit, nullum daret com-
 patientis animi signum. Horum si-
 milis videtur, qui non discruciat in
 hoc mundo, ubi vix reperias aliquem
 qui nullam sentiat tribulationem, vel
 propter poenam peccati, vel propter
 affectuum malorum medelam, vel
 propter exercitium virtutis, vel prop-
 ter meritorum incrementum. Hinc
 verissime à Kempis: (a) *Bonus homo
 sufficientem invenit materiam dolendi et
 flendi: sive enim se considerat, sive de
 proximo pensat, scit quia nemo sine tri-
 bulatione hic vivit.*

Tristitia de malis alienis à virtute
 caritatis profluit: quando autem cari-
 tas Dei in nobis perfecta est, dolorem
 insuper excitant culpæ propriæ, etiam
 tunc cum præsumimus per Dei miseri-
 cordiam has remissas extinctasque esse.
 Neque enim jam affligitur anima prop-
 ter

(a) *Lib. I. c. 21. n. 4.*

ter damnum quod à peccatis resultat, sed propter Deum à se offensum. Et pro mensura amoris & cognitionis quid mereatur Deus, & quid Deo nos debeamus, augetur hujus offensionis dolor & pudor. Longèque abest ut sensus iste imminuatur, ex eo quod speremus peccata remissa esse: vel ex hoc ipso enim tantum incrementi sumit, quantò minor jam subest ratio offendendi, majorque amandi illum, qui cum in potestate haberet injuriam sibi illatam vindicare pœnis æternis, tantâ bonitate illam condonat. Ita ut, quemadmodum hæc divina miseratio beneficiis ejus minoribus annumeranda non est: ita etiam fortassè sit ex stimulis fortioribus, qui incitant ad dolorem. Ex quo enim alio fonte profili- re potuit rivus ille lacrymarum, qui ex oculis S. Petri usque ad vitæ exitum æque copiosè profluxit, atquè si delictum ejus adhuc recens fuisset? Oportebat, inquit Chrylostomus, (a) non solum scire & confiteri, quia

E 5

„ multa

(a, De Compunc. l. I. circa fin.

„ multa in nobis delicta sunt : verum
 „ & unumquodque peccatum, & ma-
 „ jus, & minus, quasi in libro, ita
 „ in corde habere descriptum : idque
 „ frequentius recensere, atque ante
 „ oculos ponere, & hæc tamquam
 „ nuper admitta lugere. Ita enim &
 „ animæ arrogantiam frangeremus
 „ frequentius eam de malis suis & vi-
 „ tiis commonentes; & cautela nobis
 „ ne ultra in eadem delicta incidere-
 „ mus, acrior nasceretur.... Etenim
 „ licet reatu absolvamur, peccata ta-
 „ men priora si ducantur ante oculos
 „ sufficienter incutere possunt animæ
 „ verecundiam, & provocare eam ad
 „ amorem ejus, qui tam multa & tam
 „ magna concessit... Oportet
 „ ergo recordari nos priora delicta
 „ etiam ea pro quibus veniam conse-
 „ cuti sumus : & intuentes quam in-
 „ gentem modium debiti nobis remissi-
 „ Deus, & amplius eum diligere, &
 „ verecundiam pudoremque concipere,
 „ atque ex his corde compun-
 „ gi. Ita Chrysostronus : declarans in-
 „ super

super motiva quibus perfecti ad com-
 punctionem excitantur, etiam de de-
 fectibus minimis & quotidianis. Sic
 enim pergit: „ Sufficit enim sanctis
 „ & magnis, sicut & vos estis (scribe-
 „ bat hæc ad Mönachos, quorum san-
 „ ctitatem extollit,) ad compunctionem
 „ cordis recordari divina beneficia: &
 „ operum vestrorum gloriam, non
 „ vobis ipsis assignare, sed Deo. Suf-
 „ ficit, sicubi vel parum aliquid vos
 „ latuit, quantò vos magni estis, tan-
 „ tò id velut à magnis viris commissum
 „ gravius judicare. Sufficit conside-
 „ rare illorum vitas, qui summam
 „ sanctitatis & justitiæ regulam serva-
 „ runt, & per omnia placuerunt Deo.
 „ Sed & naturam peccati cogitare ve-
 „ locem, rapidam, subreptivam: &
 „ ob hoc incerta esse quæ futura sunt,
 „ & valdè dubia, & tam periculosa,
 „ ut ea etiam magnus ille metuat Pau-
 „ lus. Hoc enim indicat, cum dicit
 „ se timere, ne forte cum aliis præ-
 „ dicarit, ipse reprobus fiat „ Et
 „ iterum cum ait: „ Qui se putat stare,
 „ videat.

verum
 & ma-
 oro, ita
 idque
 què ante
 amquam
 enim &
 eremus
 is & vi-
 la nobis
 incidere
 Etenim
 cata te
 oculos
 anima
 eam a
 ta & tan-
 Oportet
 delicta
 i conse-
 uam in
 s remiss-
 gere, &
 oncipe-
 ompun-
 rans in-
 super

„ videat ne cadat Vobis ergo
 „ majoribus ista sufficiant : nobis au-
 „ tem cum his adhibenda sunt etiam
 „ alia medicamenta fortiora , & qua
 „ possunt destruere quidem arrogan-
 „ tiam , inserere vero dolorem cordis
 „ & animi mœrorem.

Ex toto hoc discursu, quem Chry-
 sostomus ferè dictavit, sequitur, nul-
 lo in statu esse aliquem, dummodo
 seipsum non negligat, qui non habeat
 materiam copiosam, motivaque urgen-
 tia compunctionis: & in hanc rem et
 quolibet capite prædicto, puncta qua-
 dam sive considerationes in promptu
 habendas esse, quæ veluti pondere
 quòdam levitatem vanamque lætitiã
 supprimant, (quæ à Chrystostomo *ar-
 rogantia* dicitur;) unàque sanctam tri-
 stitiam, dolorem pium, lætitiã spi-
 ritualem ingenerent. Ad hunc mo-
 dum dispositus, facili modo movebitur
 ad culparum dolorem: quantòque
 dolor fuerit major, tantò firmiter erit
 propositum emendationis, sive ultimam
 hujus exercitii punctum, & exami-
 nis

nis fructus præcipuus, utpotè sinè quo
 puncta omnia cetera in irritum cadunt.
 Ut quid enim puncto secundo petitur
 gratia ad notitiam peccatorum, nisi ut
 emendentur? Ut quid excutimus pun-
 cto tertio cogitationes, verba, &
 opera per horas singulas, nisi ad hoc
 ipsum? Ut quid puncto quarto de pec-
 catis dolemus seriò & cordatè, nisi ut
 peccata non redeant? Memoria verò
 beneficiorum divinorum & gratiarum
 actio, quam adhibemus puncto primo,
 huc spectat, ut collatâ cum his benefi-
 ciis immensis ingratitudine nostrâ, do-
 lor augeatur. Dolor autem verus non
 est, nisi propositum emendationis an-
 nexum habeat, quo nos deducit pun-
 ctum quintum. Quis enim verè dolet,
 qui doloris objectum non statuit repu-
 diare posthac? Patet igitur priora pun-
 cta quatuor referri ad quintum, velu-
 ti ad Examinis animam, sinè quo cete-
 ra vitam non habent. Atquè ut loqua-
 mur generaliter, fructus præcipuus
 quem in Exercitiis suis S. P. intendit,
 in propositis siue actibus voluntatis fi-

is ergo
 obis au-
 t etiam
 & qua
 rrogant
 cordis

n Chry-
 ar, nul-
 immodo
 n habeat
 e urgen-
 e rem et
 ta que-
 rompu-
 pondere
 lætitiâ
 omo ar-
 tam tri-
 am spi-
 nc mo-
 vebitur
 antòque
 ius erit
 ultimam
 exami-
 nis

tus est: & similiter fructus totus Examini, (qui sanè permagnus est) in dolore & proposito emendationis consistit. Dolor si est verus, causa propositi est; & propositum si est solidum probat veritatem doloris. Hinc Chrysostomus emendationem vitæ omniumque reformationem compunctioni adscribit: compunctioni inquam quæ & dolorem involvit, & propositum. Sic enim ait: (a) “ Sola est cordis compunctio, quæ facit animam horrescere purpuram, desiderare cilicium, amare lacrymas, fugerisum. Sola est, inquam, compunctio, quæ sicut ignis omne animæ vitium perurit & adimit, & quantacumque in eâ repererit mala, abstergit universa. & penitus delet. Concupiscentiarum flammam si invenerit, ut fluvius inundans extinguit, & enecat: curarum multitudines, & perturbationes si videat, velut flagello quodam exturbat, & effugiat, & procul esse à domiciliis animæ

(a) *Ibid. lib. 2. ante med.*

mæ jubet. Ac sicut pulvis non po-
test stare antè faciem venti; ita ni-
hil malarum cogitationum in animâ
residere potest, ubi compunctio
cordis affuerit. „ Et deinde : (a)
Hæc igitur causa est, quod malis
addimus mala, dum priorum me-
moria non permanet, nec dolor
aliquis inuritur pro conscientia de-
licti Et sic consuetudine con-
temnendi, dum de præteritis dolor
nullus est, facilius supervenientibus
malis locum damus. Quod si om-
nis ex animâ stimulus auferatur, &
cuncta ei securitatis fræna laxentur,
quis eam post hæc tenebit, aut quis
eam de præcipitiis revocabit? Quid
prohibet, ubi nihil metuitur, ubi
nihil verecundia, nihil pudoris ad-
mittitur, ut non in omnes perditio-
nis foveas demergatur? Pro his ergò
lugent Sancti, & gemitus suos con-
ferunt in conspectu Dei. „ Sic
ille.

Notandum hic etiam, ad punctum
quin-

(a) *Ibid. circa fin.*

us Exa
est) in
nis con
sa pro
solidum
ic Chry
omnem
ompun
inquan
propofi
est cor
animam
esiderare
fugere
, com
ne ani
nit, &
it mala,
us delet.
si inve
tinguit,
udines,
, velut
& effu
liis ani
„ mæ

quintum siue propositum emendationis
 pertinere res duas. I. Curandum est
 cognoscamus, tum radices culparum
 internarum, ut evellantur; tum etiam
 illarum occasiones, (si exteriores ali-
 quæ sunt,) ut tollantur; ab his enim
 pendet effectus emendationis, quem
 proponimus. Quâ ratione culparum
 radix dignosci possit, dicetur in Tra-
 ctatu de Examine particulari. Certum
 enim est unumquemque, secundum
 naturæ suæ propensionem & consuetu-
 dines, vitiosis quibusdam affectibus
 subjacere: ex quibus veluti radicibus
 ceteri defectus pullulant. Certum est
 similiter, occasiones quasdam externas
 non rarò occurrere, in quibus quisque
 experitur se vel cespitare, vel cadere.
 Proponenti autem emendationem, in-
 cumbit in occasiones istas inquirere, si-
 bique illarum fugam indicere. Quem
 enim usquè adeò hebetem reperias,
 qui cum indentidem cespitat vel cadit
 quoties domo egreditur, non attendat
 ad hujus infortunii causam? Quis non
 adhibet oculos, & manus, ut illam
 amo-

an
 et
 qu
 co
 vi
 qu
 G
 tic
 ru
 et
 m
 qu
 Pa
 qu
 je
 &
 ri
 pr
 fi
 gi
 E
 pr
 In
 or
 &

amoveat? II. Ad hoc propositum spectat etiam afflictio corporis quædam, quæ serium emendationis propositum comitetur. Hanc admirabilis omninò virtutis esse, sentient recidivi.

Deniquè observationem meretur, quam mira sit Examinis utriusque, tam Generalis quam Particularis conspiratio. Ubi enim alterum desinit, alterum incipit: ut emendationem perfectam, quam intendimus, consequamur. Generale enim incipit ab inquisitione, & desinit in proposito. Particulare verò incipit à proposito, quia mane, primo tempore, circa objectum suum proponit: meridie verò, & vesperi, secundo tertioque temporibus, inquit in defectus adversus propositum commissos, ut hoc firmiter firmiusque servetur. Ex quo colligitur, modum ordinemque horum Examinum postulare, ut Generale præcedat, & Particulare subsequatur. Inquirendum enim prius in defectus omnes cum proposito emendationis: & dein seligendus defectus particularis,

ris,

ris, quem veluti caput & radicem ceterorum esse comperimus, ut circa hunc concipiatur propositum speciale quod per inquisitionem multiplicem roboretur. Hoc cum ita sit: cur tamen S. P. in libello Exercitationum Examen particulare Generali præmiserit, dicetur ubi de proposito Examinis particularis. Nunc à forma Examinis Generalis ad ejsdem materiam transeamus.



TRACTATUS II.

De Materiâ Examiniſ Generaliſ quotidiani.

CAPUT I.

*De Doctrinâ S. P. N. circa hanc
materiam.*

MAteriam dicimus, quidquid hic
examinandum venit: omnes
ſcilicet actiones liberæ & humanæ,
bonitatis & malitiæ, meriti & demeriti,
præmiï & pœnæ capaces. Executiendæ enim ſunt actiones omnes, ſivè bonæ ſint, ſivè malæ. Malas executimus, ad correctionem, & dolorem: bonas autem, ad gratiarum actionem, ad bonitatis accretionem, ad macularum quarundam abſterſionem, quæ plerumque ſe ingerunt. *Verebar omnia*

nia opera mea, inquit Job, (a) *scien-*
quod non parceres delinquenti. Tot
 tanta præclara opera Job peragebat
 quotidie, quæ Gregorius ad hunc tex-
 tum enumerat: (b) „ Quid ergo, in-
 „ quit, vir sanctus sua opera vereba-
 „ tur, qui illa semper exhibuit, et
 „ quibus placari Deus erga iniquitates
 „ solet? Quid ergo est, quod mira-
 „ opera faciens, hæc ipsa etiam vere-
 „ tur pavens, cum dicit; *Verebar o-*
 „ *mnia opera mea?* Nisi quod in sancti-
 „ viri actibus verbisque colligimus, ut
 „ si placere Deo veraciter cupimus,
 „ postquam perversa subegimus, ipsa
 „ in nobis etiam bene gesta timeamus.
 Sed quoniam Examen bonorum ope-
 rum solummodo instituitur, ut dispi-
 ciamus, an illa omni vacent malitia:
 dici potest ex vero, hoc exercitium
 non aliud continere, quam inquisitionem
 in culpas. De inquisitionis hu-
 jus materia fusius disserit sanctus pater
 in principio sui libelli. Textum ejus
 hic damus.

EXA-

(a) *Job. 2. 28.* (b) *2. moral. 25.*

EXAMEN CONSCIENTIÆ

GENERALE.

Ad Purgationem animæ, & ad
peccatorum confessionem
utilissimum.

Pro comperto ponitur, triplex incide-
re homini cogitationum genus: unum
ex proprio surgens motu ipsius hominis;
reliqua vero duo extrinsecus advenientia,
ex boni scilicet vel mali spiritus sugge-
stione.

DE COGITATIONE.

Duobus modis elicitur meritum ex malâ
cogitatione in materiâ peccati mortalis,
de quâ hic sermo est. Primo, quando
suggeritur de patrando mortali crimine
cogitatio, sed ea confestim repugnando
vincitur. Secundo, quando prava istius-
modi suggestioni semel ac iterum repulsa,
& subindè nihilominus revertenti, con-
tinuè

a) scien
Tot a
erageba
unc tex
rgò, in
vereba
uit, es
quitates
od mira
m vere
rebar o
in sancti
mus, ut
pimus,
is, ipse
neamus
n ope
dispi
ualitâ
rcitium
uistio
nis hu
s patet
m ejus
EXA-
al. 25.

tinuè resistit homo, donec penitus expugnetur. Quod quidem victoria genus merito alterum antecellit.

Peccat autem leviter aliquis, seu venialiter, quando in subortâ peccati mortalis cogitatione aliquantulum moratur, quasi auscultando: vel quando aliquando obiter sensus delectatione afficitur: vel in eâ retundendâ se exhibet negligentem. Mortale vero peccatum per cogitationem duobus modis admittitur. Primo, quando cogitationi peccati præbetur quicumque ratione assensus. Secundo quando peccatum illud opere completur: idque gravius est priore, ex tribus causis. Videlicet, ob majorem temporis decursum: ob actum intensiorem: & ob plurimum deniquè offendiculum sive detrimentum.

DE LOQUELA.

Verbo etiam multifariam offenditur Deus, ut in blasphemiâ, juramento. Nam iurandum non est, nequè per Creatorem, nequè per creaturas ullas, nisi concurrentibus his tribus, veritate, necessitate, ac reverentiâ. Porro intelligenda est necessitas, non in veritatis cujuslibet

firma

fir
spi
ra
les
ass
jia
m
tur
ren
cre
ha
fer
di
cre
ita
ut
sic
Se
hi
li
tu
ob
m
ve
co

firmatione: sed ejus tantum, quæ circa spirituale, corporale, vel etiam temporale bonum aliquod, momenti est non levis. Reverentiam dicimus, quando assumens divinum nomen, adhibet considerationem, ut Deo Creatori, ac Domino debitus honor tribuatur.

Sciendum est autem, licet juramentum temerè seu vanè factum per Creatorem, sit gravius peccatum, quam per creaturam: difficilius tamen esse, per hanc, quam per illum licitè jurare, servatis debitis circumstantiis, quas diximus, Primo, quia in mentione creaturæ faciendâ per juramentum, non ita excitamur, aut reddimur attenti, ut ex veritate, ac necessitate juremus, sicut nominato rerum omnium Creatore, Secundo, eo quod ad honorem Deo exhibendum cum reverentiâ, longè debilius movemur ex commemoratione creaturæ, quam ipsius Dei Creatoris. Quamobrem jurare per creaturas, perfectis magis conceditur, quam crassioribus sive idiotis. Quandoquidem perfecti ex contemplationis usu assiduo, & illustratione

stratione intellectus, considerant propius, atque deprehendunt Deum, secundum essentiam, presentiam, & potentiam suam, creatura cuilibet inesse: unde ad præstandam illi debitam in juramento reverentiam, paratiores sunt aliis quæ eò perfectionis nondum proveci sunt. Tertio, quia creaturis ad confirmationem juramenti crabrius adscitis, periculum esset idololatria: id quod imperfectis magis quam perfectis fuerit temendum.

Vitandum est insuper verbum otiosum (inter alia locutionis peccata,) quod esse intelligitur, quodcumque nec loquenti, nec alteri prodest, nec eo etiam animo profertur ut afferat utilitatem. In converso vero, minimè otiosum censendum est verbum illud, quodcumque ad animam, vel propriam, vel alienam, aut ad corporis, aut rei etiam temporali commodum pertinet: aut certè ad tale quidpiam ex dicentis mente dirigitur, etiamsi quis de negotiis loquatur ab instituto suo alienis: ut Religiosus de bellis, vel mercimoniis. Ceterum ex ser-

moni

mone quidem ad finem bonum ordinato meritum contingit : ad malum verò finem, aut futiliter prolatus sermo, generat peccatum.

Sunt & oris peccata, mendacium, falsa testimonia, detractio. Nam detrahendum non est alteri, nec obmurmurandum : revelato enim mortali alicujus peccato, quod publicum non sit, cum mala intentione, vel gravi damno fame alterius, mortale itidem peccatum committitur : veniali autem, veniale solum.

Ad hæc quotiescumque alienum patefacimus vitium vel defectum, nostrum ipsorum vitium, ac defectum simul monstramus. Verumtamen, ubi recta mens est, de proximi delicto licebit loqui bifariam.

Primo, quando publicum est : ut metreticium, vel damnatum in judicio, vel perniciosum : puta, ob errorem publicum, animos conversantium corrumpentem.

Secundo, quoties occultum alicujus crimen indicatur alteri, per cujus subventionem ille relevari à peccato possit :

F

dum-

dummodo rei hujus probabilis aliquantio, vel conjectura afferatur.

Possent inter oris peccata, irrisio, contumelia, & alia id genus adscribi, quæ persequi licebit tradenti Exercitii prout opus esse judicaverit.

DE OPERE.

Propositis ante oculos decem mandata Dei, cum Ecclesie præceptis, & jussibus Majorum seu Superiorum, æstimandum est, quidquid fit operis adversus quoscumque libet eorum, id peccatum esse: leve aut gravius tamen, pro inæquali peccandi modo, & pro diversa peccantium habitudine. Porro reduci ad jussa decem Superiorum, diplomata seu inducta Pontificum, pro infidelium expugnatione, vel Christianorum pace concessa atque promulgari solita: per quæ Confessionem peccatorum, & Eucharistia sancta sumptionem, Christi fideles invitantur. Peccat siquidem non leviter, quicumque tam pias Rectorum Ecclesie cohortationes sanctionesque, aspernari contempnit, ac transgredi.

CA.

V
ca
ve
du
ma
cle
Su
qu
eor
gr
m
pe
qu
de
m
de
pa
pe
E

CAPUT II.

*Declaratur Textus Exercitiorum
capite precedenti allatus.*

Verbis jam memoratis reducit S. P. actiones nostras omnes ad tria capita: nimirum, ad cogitationes, verba, & opera. Culpas operum reducit itidem ad capita tria. I. Ad mandata Dei. II. Ad præcepta Ecclesiæ. III. Ad jussa Majorum seu Superiorum. Quia *æstimandum est, quidquid fit operis adversus quodlibet eorum, id peccatum esse: levius aut gravius tamen, pro inæquali peccandi modo.* Et cum dubitari possit. an per jussa Superiorum intelligeret aliquid distinctum à præceptis Ecclesiæ: declarat per hæc jussa intelligi, *Diplomata seu indulta Pontificum, pro infidelium expugnatione, vel Christianorum pace, concedi atque promulgari solita: per quæ ad Confessionem peccatorum, & Eucharistiæ sanctæ sumptionem, Christi*

F 2

fideles

fideles invitantur. Peccat siquidem non
leviter, quicumque tam pias Rectorum
Ecclesiae cohortationes sanctionesque,
aspernari audeat, ac transgredi. Ubique
 tantum pietas, sed & cautela pruden-
 tiaque S. Patris apparet. Supponen-
 do enim tamquam indubitatum, adim-
 plenda esse Ecclesiae & Superiorum
 praecepta, extendit doctrinam suam
 observationem eorum, quae ab his
 Superioribus ordinantur. Opponendo
 hac ratione errori Haereticorum, qui
 temporibus illis exurgebat: quando
 vilipendebant Diplomata Pontificia
 Bullas Cruciatæ, & Indulgentias
 Insigni porro prudentiâ id agit. Neque
 enim statuit peccatum esse, si non adim-
 pleantur hæc decreta Superiorum, si
 peccaret is, qui non adimpleret Su-
 periorum Ecclesiasticorum praecepta
 sed hunc ait peccare non leviter, qui
cumque tam pias Rectorum Ecclesiae
hortationes aspernari audeat. Efficiendum
 scilicet, ut fideles ab eorum legibus
 & institutis avertantur: unde scanda-
 lum damnumque sequatur, præsertim

in simplicioribus, & Superiorum hæc
 ordinantium autoritas imminuatur.
 Eodem spiritu loquitur in Regulis suis,
 Ut cum orthodoxâ Ecclesiâ verè sentiamus: ubi veluti declarans hunc textum,
 Regulâ 9. sic ait. *Confirmare omnia
 Ecclesiæ præcepta, nec impugnare ullo
 modo: sed contrâ impugnantès, quasi-
 tis undiquè rationibus defendere.* De
 jussis Superiorum quæ præcepta non
 sunt, sic expressius Regulâ 10. *Pa-
 trum etiam seu Superiorum decreta, man-
 data, traditiones, ritus, & mores stu-
 diosè probare.* Illos scilicet mores, quos
 hi Superiores introduxerunt. Et quo-
 niam plures, malè sentiendi & loquen-
 di de his decretis occasionem sumunt,
 ab excessibus, imprudentiâ nonnullo-
 rum, specie avaritiæ, & ambitionis,
 aliisque defectibus, qui ex decretis &
 ritibus illis quandòque oriuntur: de-
 clarat Sanctus ibidem in quo adversus
 hæc decreta peccetur. Non in eo quod
 jussa illa non adimpleantur, cum nul-
 lum habeant adjunctum præceptum: sed
 ut ait, in eo, quod Superioribus obtre-

Atetur, majus bonum impediatur, per-
 turbetur populus, & aduersus Superi-
 ores suos exasperetur. Sic enim pergitur.
Licet autem non reperiatur ubique ea
qua deberet esse, morum integritas;
quis tamen, vel in publica concione, vel
in populari commercio, ipsis obloquitur
generat potius damna, & scandala,
*quam aliquid afferat remedii, vel utili-
 tatis: cum nihil aliud sequatur, nisi ex-*
asperatio, & obtrectatio populi aduersus
principes, ac pastores suos. Ne tamen
velle videatur, ut ad hos defectus re-
ceatur, & illorum emendationi potius
obseretur; viam aperit planam, quae
defectibus occurrere possit; scilicet, ut
ad hos deferantur, in quorum potesta-
te sit afferre remedium. Sicut, inquit,
damnosum est, primates suos absentes
apud populum aliterare, atque profici-
dere: ita rursus privatim admonere eos,
qui si velint, mederi huic malo possunt,
opera pretium videtur fore. Haec attu-
limus, ut sciatur, quâ ratione circa
jussa Superiorum Examen instituendum
sit.

In Examine verborum notat S. P. præcipuè tria culparum genera. I. Juramenta. II. Verba otiosa. III. Detractiones, sive Obmurmurationes. Circa juramentum supponit primo, jurari posse per Creatorem, & jurari posse per creaturam. At cum per creaturam fit juramentum, non consideratur creatura per se: (hoc enim esset idololatria quædam, & creaturæ deferre honorem qui soli Deo debetur, ut nimirum in testem veritatis is invocetur solus, qui solus veritas infallibilis est, & neque fallere potest, neque falli:) sed in hoc juramento consideratur ipse Creator, qui in creatura sua est, & per excellentiam aliquam in illa relucet. Hinc dicebat Christus: (a) *Ego autem dico vobis, Non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: neque per Jerosolymam, quia civitas est magni Regis: neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum.* Docet igitur Christus, quod is qui jurat per

(a) Matth. 5.

creaturam, reverà juret per Creatorem,
 qui hâc vel istâ ratione in illa creatura
 est. Creator enim in cælo est, tamquam
 in throno: in terra tamquam in scabell
 pedum: in Jerosolyma, tamquam in
 civitate regia: in capite humano tam
 quam dominus, sinè quo nec unus
 capilli color mutari potest. Propterea
 dicit S. Pater: *Jurare per creaturas
 perfectis magis conceditur, quam crea
 turis, sive idiotis, quandoquidem per
 fecti ex contemplationis usu assiduo, &
 illustratione intellectus, considerant pro
 pius, atque deprehendunt Deum secun
 dum essentiam, presentiam, & poten
 tiam suam creatura cuilibet inesse: unde
 ad præstandam illi debitam in juramen
 to reverentiam, paratiores sunt aliis, qui
 eo perfectionis nondum proveci sunt. Pa
 tet igitur jurantem unumquemque in
 vocare Deum in testem, etsi in jura
 mento nominetur creatura. Supponit
 sanctus Pater secundò. *Jurandum non
 esse, neque per Creatorem, neque per crea
 turas ullas nisi concurrentibus his tribus,
 veritate, necessitate, ac reverentia: quas*
 con-*

conditiones Theologi requirunt com-
 muniter. Conditionem primam de ve-
 ritate, non declarat, utpote evidentem,
 nulliusque interpretationis indigam.
 Conditionem necessitatis declarat hoc
 modo. *Porro intelligenda est necessitas,*
non in veritatis cujuscumque affirmatione,
sed ejus tantum, quæ circa spirituale, cor-
porale, vel etiam temporale bonum ali-
quod, momenti est non levis. Quod
 sic accipiendum est, ut non tantum res
 quæ juratur, in aliquo genere bono-
 rum memoratorum, hoc est, animæ,
 corporis, aut fortunarum, sit momen-
 ti non levis: verum etiam ex momen-
 to non levi ad jurandum impellamur,
 vel ad bonum non leve conservandum,
 vel ad malum contrarium declinandum.
 Conditionem reverentiæ declarat sic:
Reverentiam dicimus, quando assumens
divinum nomen adhibet considerationem,
ut Deo Creatori, ac Domino debitus
honor tribuatur. Ex his consequitur,
 juramentum licitum, & laudabile sem-
 per esse, & verum, & necessarium,
 & reverens. Defectu veritatis, fal-
 sum.

lum est: defectu necessitatis, temerarium: defectu reverentiæ, Majestati divinæ injuriosum.

Missio juramento falso, (quod semper culpam gravem involvit,) circa duas alias conditiones, duo asserit Sanctus. I. Si jurandum est, facilius cum veritate, necessitate, & reverentia, juratur per Creatorem: difficilius *servatis debitis circumstantiis* per creaturam. II. Si juramentum temerarium est, & absque uecessitate; gravius peccatur jurando *per Creatorem, quam per creaturam.* Utriusque axiomatis eadem ratio est. Quia *sicut nominato rerum omnium creatore* magis reddimur attentus, ut cum veritate, & necessitate juremus faciliusque ad reverentiam excitamur, quam *in mentione creaturæ*: sic major culpa est temerè & sine reverentiâ jurare, nominato Creatore, quoniam arguit majorem inadvertentiam, & defectum; & minor culpa est temere, & sinè reverentiâ jurare per creaturam, quia minor irreverentia committitur, ubi minus attenditur ad Creatorem.

Quan-

Quantòque difficilius est nominatâ creaturâ servare debitam attentionem, & reverentiam Creatori, tantò juramentum, *perfectis magis conceditur, quam crassioribus sive idiotis.* Perfecti enim in omnibus creaturis, & quærunt, & inveniunt Creatorem: imperfecti autem, dum assuescunt jurare per creaturas, neque Creatorem considerant intimè illis præsentem, periculum incurere possunt cogitandi, creaturam se invocare tamquam veritatis pronuntiatæ testem per se infallibilem, atque adeò hunc dare honorem creaturæ qui soli Deo debetur. *Quia, inquit, creaturis ad confirmationem juramenti crebrius adscitis, periculum esset idololatriæ: id quod imperfectis magis, quam perfectis fuerit timendum.* Hæc sunt, quæ tradit de juramentis.

Quod attinet ad verba otiosa, non videtur clarius breviusque exponi posse, quodnam sit, & in quo consistat hoc vitium, quam textus ipse proponit. Ut verbum sit otiosum, duo inquit requiruntur. I. *Ut neque mihi, neque*

alteri utile sit. II. Ut non proferatur ad afferendam utilitatem, vel propriam, vel alienam. Itaque, si verbum utile est, vel eo animo profertur, ut afferat utilitatem: otiosum non est. Sequitur, verba plurima per se inutilia, sed tamen animo afferendi aliquam utilitatem prolata, non esse otiosa. Ejus generis sunt.

I. Verba conversationis ad honestam moderatamque recreationem tendentia: hæc enim ad utilitatem *corporis* referuntur. II. Verba urbanitatis, & affabilitatis, ut illorum quibuscum agimus affectum lucremur: quæ ad *animam vel propriam, vel alienam, aut ad corporis, aut rei etiam temporalis commodum* pertinent. III. Cum tractamus materiam, quæ à statu, quem profiteamur, aliena videtur: ut si loquatur *Religiosus de bellis, vel mercimoniis*. In hac doctrina fundatur industria, quam S. P. N. alibi operariis nostris commendat: ut nimirum, hi qui agunt cum proximis, sermonem incipiant à rebus ad hos pertinentibus; & in rebus suis, id est spiritualibus, eundem concludant.

Sup-

Supponit enim appetitum, & intentionem nostram, à gustu sæcularium differre: & propterea conversationem cum illis, ita quidem temperandam esse, ut hos nobis benevolos reddamus: sic tamen, ut ad intentum nostrum devolvamur. Etenim, si non aliud quam amicitia humanæ lucrum hinc sublequatur, vani efficimur, ut illi sunt.

Tertium verborum genus, detractiones verbaque proximum lædentia complectitur. Etsi autem hujus loci non fit damna persequi, quæ tam Religiosis, quam secularibus familiis detractionis vitium affert, ut instruamur in conscientia discutiendæ modo: leviter tamen, unam ex præcipuis rationibus S. P. tangit, quæ ingenerare possit vitii hujus horrorem. Quia scilicet detrahendo, non minus defectum proprium, quam alienum detegimus. Quid dico detegimus? Imo vero detrahens, & committit culpam, & simul patefacit. *Revelato enim mortali alicujus peccato, quod publicum non sit, cum*

mala intentione, vel gravi damno fama alterius, mortale itidem peccatum committitur: veniali autem, veniale solum. Ita ut detractor impleat ille Pauli: (a) *In quo judicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis, quae judicas.* Fundatur hæc doctrina in eo quod ordinariè contingit, detecto alterius peccato gravi, graviter lædi famam ejus; revelato autem veniali, vel non infamari illum, vel tantum leviter. Ceterum, si in rigore loquamur, detractionis gravitas non desumitur à gravitate peccati revelati, neque ejus levitas, ex levitate peccati quod detegitur: sed vel à gravitate vulneris, quod alienæ famæ honorique infligitur; vel ab intentionis nostræ malitia, qua volumus famam alienam graviter lædere. Utroque enim hoc modo committitur peccatum mortale, ut observat S. P. cum ait: *Revelato mortali alicujus peccato, quod publicum non sit, cum mala intentione: vel gravi damno fama alterius, mortale itidem peccatum committitur.*

(a) Rom. 2. 1.

tur. Hoc est; peccatur graviter, tum quando proximi peccatum mortale occultum cum mala intentione panditur; tum quando ex revelato defectu qualicumque, damnum grave alterius famæ inferitur. Contingit enim ex revelatione defectus secreti naturalis, aut moralis, sed innoxii, vel tantum venialis, grave proximo damnum inferri: sicut è contrario non inferri damnum grave ex defectu coram Deo gravi, & mortali, sed coram hominibus tali, ut quantumvis reveletur, in personis quibusdam, non lædat graviter famam. Sed tamen secundum Regulam generalem, infamia sequitur culpam: majorque culpa cum revelatur, majorem infamiam parit.

Addit S. P. quando intentio recta est, duplici modo licitum esse delictum, vel defectum proximi prodere. Rectam porrò intelligit, non eam quæ aversatur proximi damnum, sed quæ præterea ejus utilitatem spectat. Si enim nulla speretur utilitas, verba nostra ut minus otiosa sunt: cumque circa proximi defectum

ver-

versentur, numquam non inferent ali-
quod damnum. Calore enim conver-
sationis, exaggerantur peccata levia,
secreta revelantur, publica ampliantur,
oblitorum memoria reviviscit, fœtor
oritur ad camarinæ istius motionem,
nemoque amat objectum fieri discursu-
suum hujuscemodi, & cuivis bono
ingratum est defectus aliorum obser-
vari oculis, linguâque propalari. Non
potest ergò hæc intentio esse recta,
nisi ex relecto defectu speretur major
utilitas, sive eorum qui rem audiunt,
sive ejus cujus defectus aperitur. Duo-
bus igitur modis cum intentione recta
de peccato vel defectu alterius loqui li-
cet. I. Ob utilitatem audientium: v.
g. ad instructionem, admonitionem,
præcautionem, ne in aliquid simile in-
currant, consolationem eorumdem si
incurrerint, exhortationem, ut oratio-
nibus juvent illum qui cecidit, aut
alium finem ejusmodi. Ut autem ad
audientium utilitatem de peccato proxi-
mi sermonem liceat instituere; necesse
est delictum illud esse publicum, &
notorium.

notorium. Delictum verò in hac materia triplici modo publicum dici potest. Primo, quandò ipso facto notorium est: ut publicè *meretricium*. Secundo, quando jure notorium est: ut *damnum esse in judicio*. Tertiò, quandò vel detrahens intendit inferre alii damnum, vel delictum ex natura sua tale est, ut merito timeatur ne serpat, & inficiat ceteros. Tale enim delictum ex natura sua tendit ad notitiam omnium, pro mensura quâ detegitur; neque per revelationem ejus, affertur famæ proximi detrimentum, quod quidem alicujus momenti fit, ex eo quod delictum illud paulò citius innotescat: quoniam id revelatur, quod paulò post non absque damno publico revelandum erat, ut, *error publicus animos conversantium corrumpens*. Si nullo prædictorum modo peccatum sit publicum, non licebit manifestare: neque enim licet nocere famæ unius, ad utilitatem aliorum, quibus ex delicto illi timeri damnum non potest, cum occultum fit: neque etiam licet hâc ratione prodesse proximo, si fortassis utilitatem ali-

aliquam hæc notitia afferre posset. Sicut enim rectè instituitur anatomia cadaveris ad utilitatem viventium, revelatis secretis quæ natura ipsa occulit, & quibus antè inspectis non potuisset homo ille animam servare; proptereaque culpa gravis fuisset, etiam ad restituendam in firmo alteri sanitatem, scrutari viscera hominis vivi, illumque interimere, ad recuperandam salutem viventis: eadem profus ratione, is cuius honor interiit ob culpæ publicitatem, vel ob intentionem pravam inferendi aliis damnum, honoris jure privatus est: ac veluti cadaver, ad instructionem, & præcautionem vivorum, per culpæ istarum anatomiam five revelationem, aliorum oculis objici potest. Hoc verò neutiquam licet cum illis, quibus fama integra est: neque enim mortui sunt, sed vivunt ad plurima, quæ concernunt Dei, republicæque obsequium: ad quæ redduntur inidonei, quorum honor periit. Horum ergo vulnera, etiam gravissima periculique plena, sæpissimè curantur, quando secreti

creti

ereti velo obtecta sunt: quæ desperata,
 & incurabilia fiunt, si delinquentes ho-
 noris sui integritate spolientur. Non
 licet igitur delictum secretum unius ape-
 riri, ut inde alter instruatur, aut ex-
 citetur ad bonum. Aliud foret, si
 ageretur de utilitate, & correctione,
 non illorum qui audiunt, sed illiusmet
 qui deliquit: tunc enim aliquando in
 sermonem deduci potest ejus delictum,
 etiam occultum. Et hic est modus II,
 quo de peccato, vel defectu alterius
 loqui licet. Si enim medicis corpora-
 libus sæpius aperiuntur morbi secreti,
 & valde erubescendi, eatenus cedendo
 honori, ut nimirum morbis illis hi me-
 deantur: quantò magis medicis spiri-
 tualibus hoc fidendum est, per quos
 majorum malorum remedium speratur,
 & quibus securius integritas honoris
 committitur. Verum neque inconsi-
 deratè, neque leviter hoc agendum est:
 sed innitendum rationibus bonis, &
 valde probabilibus conjecturis, fore ut
 persona cui delictum revelatur, & pos-
 sit, & velit delinquentem juvare. Tum
 verò:

flet. Si
 mia ca
 , reve
 culuit
 otuiffe
 ptere
 ad resti
 , scri
 que in
 tem vi
 is cujus
 tatem,
 ferendi
 tus est
 onem,
 culpa
 elatio
 t. Hoc
 quibus
 mortui
 æ con
 oble
 onei,
 ergo
 ilique
 do se
 creti

verò utiliter ad hoc adlaboraturus est, quando & servabit secretum, & notitiam hanc ad utilitatem, non verò ad damnum delinquentis adhibuerit: & quando sperata utilitas major est, quam damnum ex revelatione delicti. Totum hoc vult S. P. his verbis: *Quoties occultum alicujus crimen indicatur alteri, per cujus subventionem ille relevari à peccato possit: dummodo rei hujus probabilis aliqua ratio, vel conjectura offeratur.*

C A P U T III.

De Examine Cogitationum.

AD cogitationum examen veniamus, de quibus S. P. primo loco agit, nos autem, mutato ordine majoris claritatis causâ, postremo. Ante omnia notandum est, examen hoc, ut ex una parte momenti, & utilitatis magnæ, ita ex altera, & difficile, & obscurum esse. Obscurum quidem, quia circa actus internos, & occultos
vet-

versatur, qui sub sensum non cadunt, quemadmodum generaliter cadunt verba, & opera: difficile verò, quia cogitationes non subduntur imperio voluntatis, sicut verba, & opera. Hic enim absolutè imperamus: & sive ore loquimur, sive manibus ceterisque corporis membris operamur, voluntatis arbitrio sine mora, & perfectè paretur. At non sic obediunt cogitationes, motusque affectuum interni: sed quotidie experimur, ab his nos abripi quo non volumus. Hinc igitur nascuntur dubia, an adfuerit plena deliberatio, an sufficiens advertentia, an consensus fuerit liber, an res steterit in motu primo, solaque illusione intellectus, an, & quòusque traxerit voluntatem. Ex his dubitationibus oritur scrupulorum, & inquietudinum fons, & origo, qui numquam exsiccat, neque dumtaxat pacem animo eripit, sed ratiocinationem submergit, efficitque ut cogitationum discussio penitus evertatur. Patet igitur hoc examen, & difficile, & obscurum esse: sed si debite instituat, tur,

us est,
& noti-
verò ad
rit: &
t, quam
Totum
ties oc-
alteri,
i à pec-
obabilis
tur.

venia-
mo lo-
ordine
o. An-
n. hoc,
tilitatis
le, &
idem,
ccultos
ver-

tur, momenti sanè permagni, & utilitatis eximiae est. Sicut enim prima divinae lucis scintilla, quam dicimus gratiam excitantem, cadit in intellectum, ut moveat ad bonum: sic etiam prima infernalium flammaram scintilla, in eundem intellectum cadit, ut moveat ad malum. Unusquisque inquit Jacobus (a) tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum. Propterea dixit Salvator: (b) De corde exeunt cogitationes mala, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia. Ubi, si rectè rem inspiciamus, omnia genera peccatorum enumerat, tam cogitationum, quam verborum, & operum: omniaque ait de corde exire. Primo autem loco nominat cogitationes malas, tamquam fomitem, qui peccatis omnibus communis sit. Neque enim ad concipiendam particulam ignis etiam minimam, fomes ullus adeò dispositus est: quam cogitatio cordis, ut

(a) Jacobi I. 14.

(b) Matt. 15. 19.

concipiat desideria , sive bona , sive mala.

Ex dictis patet, quanti momenti sit notitia discutiendarum cogitationum, & motuum interiorum: & consequenter quanti referat facilitatem, & dexteritatem nancisci, ut has rectè ordinemus.

Cum enim cogitationes ex una parte sint rebelles imperio voluntatis; & ex altera incentivum boni, & mali, fons & origo libertatis, proindeque basis totius bonitatis, & malitiæ actuum exteriorum: in uno eodemque homine, ad instar horologii, duobus motibus agimur. In horologio etenim motus duo sunt: externus unus, qui per indicem signat horas, liquidèque apparet; alter internus & reconditus, qui agit rotas, & à cujus directione bona, pendet motus benè ordinatus, qui foris se prodit. Similiter sunt in homine actiones externæ, apertæ, & manifestæ, ut verba & opera, quorum examen facile est, ut deprehendatur illorum bonitas, & malitia. Verum intrà hominem latet hujus horologii machina potissima,

& uti-
prima
icimus
ectum,
n prima
a, in
novent
acobus
tractus
m con-
ea dixit
itatio-
ornica-
bemia.
omnia
am co-
& ope-
e. Pri-
tiones
pecca-
que e-
ignis
eò dil-
lis, ut
conci-

potissima, & artificium, rotæque cogitationum, & consensuum occultantur, per quas gubernantur actiones omnes externæ. Hinc qui desiderat exteriores actiones rectè disponere, curam omnem collocet necesse est, ut rectè ordinet cogitationes, & affectus intus latentes.

Ex his patebit responsio ad quæstionem, quæ circa textum, & verba patris hic moveri posset. Cur scilicet agendo de examine verborum, & operum, exempla attulerit materialium particularium: agendo verò de examine cogitationum, nullam tetigerit materiam in particulari. Circa verba enim instructiones attulit speciales, de iuramentis, de verbis otiosis, de detractionibus: circa opera, de decem mandatis Dei, de præceptis Ecclesiæ, de iussibus Superiorum. De cogitationibus autem proponit dumtaxat generaliter puncta duo: I. Ex quibus principiis cogitationes oriri soleant: II. Quot modis inde eliciatur meritum, vel peccatum: absque eo quod attingat

ma-

mat
dive
qua
inte
dun
à ve
sect
esse
vel
etia
libe
tia
Co
tur
ven
ma
sed
per
fore
virt
sæ
& i
tum
bis
sa,
qua

materiam aliquam particularem. Hujus diversitatis rationem, & causam aliquam esse oportet: etenim S. P. hic intendit instructionem dare ad instituendum examen generale, in quo mortalia à venialibus distingui debent. At verò, secundum omnes Theologos, potest esse culpa major, vel minor; mortalis, vel venialis, tum ratione materiæ, tum etiam ratione deliberationis, plenæque libertatis, quæ dependet ab advertentia intellectus, & consensu voluntatis. Cognoscere autem, quando sit peccatum nec ne, quando sit mortale, vel veniale ex parte materiæ, res difficillima est, quæque hujus loci non erat, sed plures studiorum annos requirit, & pertinet ad Summistas, atque Professores Theologiæ moralis, qui materiam virtutum, mandataque Dei, & Ecclesiæ pertractant, disputantque, quando, & in quo gradu unumquodque præceptum obliget. Dum igitur S. P. de verbis agens affert juramenta, verba otiosa, & detractiones, non aliud agit, quam afferre exemplum doctrinæ suæ,

G (ut

(ut aliàs assolet,) idque in materiis magis obviis minusque intricatis: quam alia materia non desint, in quibus & examinare, & dein etiam accersere quilibet sese debeat, secundum statum, & officium. Propterea in textu latino additum est: *Possent inter oris peccata, irrisiones, contumelia, & alia genus adscribi: quae persequi licebit prudenti Exercitia, prout opus esse iudicaverit. Hac ex parte materiae.*

Alterum caput undè pendet peccatum, vel non peccatum; grave, vel leve, est deliberatio nostri contentus. Atque hic nos docet, & assignat regulas idoneas: sed absque exemplis. Quoniam enim generales sunt, & materiis omnibus aequè conveniunt, nihil aliud hic necessarium fuit, quam instruere, quomodò circa hanc materiam (supposito quod vetita sit) intellectus habere se debeat, & quomodò institutum examen: quando victores, & quando victi simus; quando leviter occisi, & quando occisi. De his, ut dictum est, duo puncta proponit. I. Undè cogit

cogitationes incidere soleant. II. Quot modis hic possimus peccare, & promereri.

Ad punctum primum sic loquitur: *Pro comperto ponitur, triplex incidere homini cogitationum genus. Unum ex proprio surgens motu ipsius hominis: reliqua vero duo extrinsecus advenientia, ex boni scilicet, vel mali spiritus suggestione.* Hæc doctrina fundamentum est Regularum Discretionis: supposito enim quod incidant homini cogitationes aliquæ à spiritu bono, aliquæ à spiritu malo: sequitur Regulas dandas esse, ut hi spiritus internoscantur, & secundum quas possimus spiritus boni inspirationes admittere, mali repellere. Etsi hæc materia locum proprium postulet: dicendum hic tamen aliquid, quod ad propositum nostrum facit, & ad declarationem verborum huic examini insertorum. Notandum verò, non agi hic de principio physico, sive causâ efficiente cogitationis nostræ: neque enim alia hæc esse potest quam intellectus. Quomodo enim anima cogitare possit

G 2

fine

sine opera intellectus? Aut quomodo desiderare sine opera voluntatis? In hoc igitur sensu dicendum necessario, cogitationes omnes, quæ nobis incidunt nostras esse. Quando ergo dicimus aliquas cogitationes extrinsecus advenire, agimus de causâ movente, & est stimulante ut illas admittamus, quæque intellectui nostro has quasi injicit. Aliæ enim cogitatio est, quam mihi ipsi et discursu proprio fabrico; alia quam quispiam alius proponit: etsi & hanc, & illam percipiam ipsemet. Hoc eodem modo solent homines dicere intellectus; Ratio ista quam affers, tua non est, sed Sempronii. Etsi enim ea hujus sit, qui illam eloquitur: non dicitur tamen hujus esse, quia alius intellectui origo ejus illam impressit. Hoc sensu cum intraret ad Davidem mulier Thecutia, ut pro Absalone intercederet, interrogata an à se, vel a Joab, ista proferret, respondit: *(a) Per salutem animæ tuæ, Domine mi Rex, nec ad sinistram, nec ad dexteram est, ex omnibus his quæ lo-*

(a) 2. Reg. 14. 19.

*cutus est Dominus meus rex: servus enim
tuus Joab, ipse praecepit mihi, & ipse
posuit in os ancillae tuae omnia verba haec.*

Hoc eodem sensu dicimus, non omnes cogitationes nostras, esse nostras: sed aliquas aliunde advenire, sive à spiritu bono, sive à spiritu malo. Cogitatio mea dicitur, quæ ex discursu proprio provenit, per motum humoris cujusdam interni, vel occasionis externæ per sensus admittæ, qui aliis, atque aliis modis, per species impressas solent excitare imaginationem in intellectu.

Cogitatio aliena dicitur in primis, quam per voces externas alius mihi ingerit: sed de hac non agitur hic, tum quia extrinsecè cognita & manifesta est; tum quia ad propositum nostrum non eget instructione particulari. Per cogitationes aliunde advenientes, has solas intelligimus, quæ procedunt à spiritu malo, vel bono. Qui spiritus quoniam causæ occultæ, & extra sensum positæ sunt, ad sui notitiam, & examen discretionem indigent, luceque peculiari.

G 3

Huc

Huc spectant utraque Regulae Discretionis, quae extant in Libello Excitiorum: quibus, & principium posuit, & splendorem contulit S. P. N. in Meditatione de duobus Vexillis. Ubi signa discernendi, inter spiritum bonum, & malum reducit ad duo capita. I. Ex parte materiae, sive motorum, quae & hic, & ille spiritui intellectui nostro proponit: haec autem colligi possunt ex concione, quam uterque dux habet ad suos. II. Ex parte modi, quo motiva haec representantur, hoc est, ex dispositione quam ex illis anima perlentiscit. Atque illud significatur per arrogantem, & imperiosam feritatem, quam e cathedra sua loquitur Lucifer; & per affabilitatem, & amabilitatem, quam suos alloquitur humilis, & speciosus forma Salvator. Duo haec tetigit S. P. in quinta Regula ex posterioribus de Discretionem spirituum, ubi sic ait: *Sedulò, & accuratè excutienda sunt cogitationes nostrae, circa principium, medium, & finem suum. Quae tria si rectè se habeant, Angeli boni at-*
gumen-

qu
ren
qu
ma
mi
qu
ip
sub
tra
ci
sp
str
hi
ge
bu

Q

S
&
sp

gumentum est, cogitationes illas suggerentis: si autem per discursum mentis aliquid offertur, vel sequitur, quod ex se malum sit, vel avocet à bono, vel ad minus bonum impellat, quam anima prius querendo sequi decrevisset; vel animam ipsam defatiget, angat, ac perturbet, sublatâ que prius aderat quiete, pace, & tranquillitate, evidens tunc erit indicium, autorem esse cognitionis ejusmodi spiritum malignum, utpote utilitati nostræ semper adversantem. De duobus his signis, ut inter duo cogitationum genera distinguamus, agetur in capitibus sequentibus.

C A P U T I V.

Quomodo distinguantur ista tria genera cogitationum ex parte materiæ.

SI materiam cogitationum nostrarum inspicimus, inter spiritum bonum & malum hæc differentia est, quod spiritus bonus semper impellat ad bonum,

num, & ad melius magisque perfectum. in
 Dico, semper: quia in tota cogitatio- ve
 num catena, in principio, & in me re
 dio, & in fine, proponit, & suade co
 ea quæ perfecta sunt. Spiritus ver &
 malus, è contrario semper impellit a ta
 malum, aut ad bonum minus, quam no
 animam antè decreverat. Et hoc aliquan- ru
 dò apertè jam indè à principio: aliàs sæ
 dissimulanter in principio, & sub quã ad
 dam specie boni, sed apertius decla- ad
 rando se, vel in medio, vel in fine, qu
 & transeundo ad id quod malum, vel ca
 minus bonum est. Hoc docet S. P. in re
 quinta illa Regula jam allegata. »

At numquid sicut spiritus bonus sem- »
 per impellit ad bonum, & spiritus ma- »
 lus semper ad malum; sic etiam è cor- »
 verso omnis cogitatio bona autorem »
 habet spiritum bonum, & omnis co- »
 gitatio mala spiritum malum? Hoc »
 ita sit, à quo spiritu erunt cogitationes, »
 quæ autorem habent spiritum proprium, »
 quæ neque sunt à spiritu bono, neque arg
 etiam à spiritu malo? Primò igitur cer- »
 tum est cogitationes vagas, & discursus
 inutiles

inutiles de objecto audito, vel viso, vel sentibus oblato, ordinariè provenire à spiritu nostro. Deinde, plurimæ cogitationes malæ, nostræ propriæ sunt, & absque tentatore alio nos ipsos tentamus, & per infirmitatem arbitrii nostri ad bonum, in hâc naturæ corruptione, cogitationes nostræ propriæ sæpius nos impellunt ad malum, atque ad id quod rationi divinisque legibus adversatur. Ita docet D. Thomas (a) qui ad quæstionem, *Utrum omnia peccata procedant ex tentatione diaboli*, sic respondet. „ Non omnia peccata committuntur diabolo instigante: sed „ quædam ex libertate arbitrii, & carnis corruptione. Quia, ut Origines dicit, etiamsi diabolus non esset, „ homines haberent appetitum ciborum, & venereorum, & hujusmodi: circa quæ multa inordinatio contingit, nisi per rationem talis appetitus refrænetur „ Et proposito hoc argumento, „ Omnia bona quæ facimus, „ ex suggestionibus bonorum Angelorum.

G 5

pro-

(a) 1. p. q. 1. q. 114. art. 3. corp. & ad. 3.

„ procedunt ergò, & omnia mala
 „ quæ facimus, proveniunt ex sugges-
 „ stione diaboli; respondet; quod
 „ homo potest per seipsum ruere in
 „ peccatum: sed ad meritum proficere
 „ non potest, nisi auxilio divino,
 „ quod homini exhibetur mediante
 „ ministerio Angelorum. Et ideo ad
 „ omnia bona nostra cooperantur An-
 „ geli: non tamen omnia peccata no-
 „ stra procedunt ex dæmonum sugges-
 „ stione. Quamvis nullum genus pec-
 „ cati sit, quod non interdum ex dæ-
 „ monum suggestionem proveniat. „
 Hæc doctrina D. Thomæ convenit cum
 doctrinâ Basilii, docentis tentationes
 inhonestas sæpius à nobisipsis oriri: &
 harum aliquas à corpore ad spiritum de-
 rivari, aliquas à spiritu ad corpus, (a)
 „ Sollicitè, inquit, curare debet virgo
 „ quomodo placeat Domino, ut sit
 „ sancta corpore, & spiritu Sancta
 „ corpore, dum ex eo ad animam ni-
 „ hil iniquationis importat: & spiri-
 „ tu, dum nulla hinc mala cogitatio-
 „ ne

(a) De vera Virginit. post. med.

ne perturbatur. Non solum enim à corpore ad animam perturbationes transeunt, verum ab anima incipientes ad corpus. Non potest igitur dubitari, quin de nobis ipsis, sive ut Christus ait, de corde exeant cogitationes malæ, absque eo quod tentator adfit, & inflammet rotam nativitatis nostræ, inflammatam à gehenna. (a)

Major difficultas est de cogitationibus quæ procedunt à spiritu proprio, & impellunt ad bonum: videtur enim D. Thomas asserere, omnes nostras cogitationes bonas ex bonorum Angelorum suggestione procedere. Notandum igitur, cogitationem nostram dici posse, quam ex nobis ipsis liberi arbitrii viribus excitamus, absque adjutorio gratiæ supernaturalis. Certum verò est, cogitationem talem quæ meritoria sit, & conferat ad salutem, non posse nos habere à nobis. Dicit enim Paulus: (b) *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Sed de hac

G 6

suf-

(a) *Iacob. 3. 6.* (b) *2. Cor. 3. 5.*

sufficiencia jam non agimus, neque lo-
 quimur hic de gratia in rigore Theo-
 logico, sed de gratia devotionis: qua
 deficiente, sive tempore desolationis,
 sive etiam tranquillitatis, & pacis, ne-
 cesse est ad excitandos in voluntate af-
 fectus bonos, & proficiendum in via
 divini servitii, subsidium petere à ra-
 tiociniis, & discursibus nostris. Has
 verò cogitationes vocamus nostras,
 quoniam à libertate nostra nascuntur,
 & à naturali operandi modo procedunt;
 etsi semper adjunctam habeant gratiam
 Dei, quoties utiles sunt ad salutem.
 Hæ cogitationes hic opponuntur illis,
 in quibus prævenimur à splendore gra-
 tiæ divinæ, & veluti sublevamur à po-
 tenti manu Dei, & ad majora evehi-
 mur quam sufficientes simus cogitare ex
 nobis: neque enim hi impulsus depen-
 dent à voluntate nostra, neque indu-
 stria naturali, aut conatu proprio ob-
 tineri possunt. De differentia inter has
 utrasque cogitationes, fusius egimus.
 Parte prima Viæ Spiritualis lib. 2. cap.
 28. & 29, & Lib. 3. cap. 9; adeo-
 que

que supervacaneum est ea repetere.
Videatur Suarez de Religione Tom. 4.
Trac. 10. lib. 9. cap. 5. dubio 12.

Si igitur cogitatio mea dici possit, quæ à libertate procedit, & ab arbitrio meo dependet, licet a divina gratia adjuvetur: potest cogitatio mea, sive spiritus mei versari circa bonum, & impellere ad bonum. Res hâc comparisonem illustrari potest. Homo debilis, & infirmus, qui se suis viribus movere nequit, duobus modis juvari potest: uno quidem, si illum alii suis humeris ferant; altero, si brachiis fulciant. Primo modo movetur quidem, sed omnis ille motus ab extrinseco venit. Secundo autem modo, quamquam ab aliis adjuvetur, movet tamen seipsum liberè, (neque enim vis ulla inferitur,) & sola voluntate sua sistit hunc motum: ac propterea motus hic potest dici proprius, etsi aliundè juvetur. Eâdem ratione voluntas nostra, quæ debilis, & infirma est, neque per se capax est operari bonum, aliquando sic prævenitur à gratia luceque divina, ut

equale
Theo-
s: qua
ationis,
cis, ne-
tate af-
in via
e à ra-
. Has
nostras,
untur,
cedunt;
gratiam
alutem.
r illis,
ore gra-
r à po-
evehi-
itare ex
depen-
indu-
o ob-
ter has
gimus.
2. cap.
adeo-
que

non tam gradiatur, quam sustollatur ;
 neque tam loquatur Deo, quam Deus
 audiat sibi loquentem : atque hæc est
 cogitatio, quæ ab extrinseco venit, si-
 ve à spiritu bono. Aliquandò discer-
 rit intellectus per se, & rationibus ex-
 citat voluntatem : etsi verò tunc adju-
 vetur anima à gratia cooperante, illa
 tamen cogitatio nostra dici potest, ut
 pote à voluntate nostrâ dependens, &
 discursui nostro innixa. Plus autem
 vel minus hæc cogitatio à nobis ipsa ha-
 bet, pro ratione lucis, & devotionis
 spiritualis, quâ perfunditur, quæque
 illam quandoque subleuat, ut exiguo
 labore cognoscat, quod labore multo
 per se consequi nequit.

Ex dictis sequitur, quod cogitatio-
 nes extrinsecus advenientes, si à spi-
 ritu bono proveniunt, semper impel-
 lant ad bonum : sin à spiritu malo, se-
 rius aut citius semper ad malum. Co-
 gitationes vero à spiritu proprio venien-
 tes differenter se habeant ad bonum,
 & ad malum. Bona enim cogitatio,
 bona esse nequit sine gratiâ : nostra ta-
 men

men

men dici potest, cum ab industria, conatu discursuque nostro procedit; quæ spiritus boni est, quando gratia Dei nos prævenit. Mala autem cogitatio nostra, mala esse potest, absque alterius spiritus adjutorio. Hanc doctrinam, quam S. P. N. clarè supponit, ex ore Abbatis Moysis audiamus, qui apud Cassianum sic loquitur. (a) „ Il-
 „ lud sanè præ omnibus nosse debe-
 „ mus, tria cogitationum nostrarum
 „ esse principia: id est, ex Deo, ex
 „ diabolo, & ex nobis. Ex Deo qui-
 „ dem sunt, cum Spiritus sancti illu-
 „ stratione nos visitare dignatur, eri-
 „ gens nos ad sublimiorem profectum,
 „ & in quibus vel minus acquisivimus,
 „ vel desidiosè agentes superati sumus:
 „ saluberrimâ compunctione castigat,
 „ vel cum referat nobis cælestia Sacra-
 „ menta, & propositum nostrum ad
 „ meliores actus, voluntatemque con-
 „ vertit. Ut ibi, cum Rex Assuerus
 „ castigatus à Domino, libros Anna-
 „ les instigatur inquirere, quibus Mar-
 „ dochæi

(a) Collat. I. cap. 19.

„ dochæi beneficia recordatus, summi „
 „ eum gradu honoris exaltat, ac pro- „
 „ tinus crudelissimam super nece gentis „
 „ Judææ sententiam revocat. Vel cum „
 „ Propheta commemorat. *Audiam „*
 „ *quid loquatur in me Dominus Deus. „*
 „ Alius quoque; *Et dixit, inquit, „*
 „ *Angelus qui loquebatur in me. Vel „*
 „ cum filius Dei venturum se unâ cum „
 „ Patre, & mansionem apud nos fa- „
 „ cturum esse promittit. *Et, Non „*
 „ *estis, inquit, vos qui loquimini, sed „*
 „ *spiritus Patris vestri qui loquitur in „*
 „ *vobis. Et vas Electionis: Expe- „*
 „ *rimentum ejus quæritis, qui in me „*
 „ *loquitur Christus? Ex diabolo verò „*
 „ cogitationum nascitur series, cum „
 „ subvertere nos tam vitiorum oblecta- „
 „ tione, quam etiam occultis conatur „
 „ insidiis, subtilissimâ calliditate, mala „
 „ pro bonis fraudulenter ostentans, & „
 „ transfigurans se in Angelum lucis. „
 „ Vel cum Evangelista refert; *Et ce- „*
 „ *nâ factâ, cum diabolus jam misisset „*
 „ *in cor Judæ Simonis Scarioth, ut tra- „*
 „ *deret Dominum. Et iterum; Post „*
 „ *bussel-*

» *buccellam*, inquit, *introiuit in illum*
 » *Sathanas*. Petrus quoque ad Ana-
 » *niam*; *Quare*, ait, *tentavit Sathanas*
 » *cor tuum*, *mentiri te spiritui sancto*?
 » Et illud quod in Euangelio, & mul-
 » *tò antè per Ecclesiastem prædictum*
 » *legimus: si spiritus potestatem haben-*
 » *tis ascenderit super te, locum tuum ne*
 » *dimittas*. Illud quoque quod dici-
 » *tur ad Deum contrà Achab in ter-*
 » *tio Regum libro, ex persona spiritus*
 » *immundi: Egrediar, & ero spiritus*
 » *mendax in ore omnium Prophetarum*
 » *ejus*. Ex nobis autem oriuntur, cum
 » *naturaliter ea quæ gerimus, vel gel-*
 » *simus, vel audiuimus recordamur*. De
 » *quibus beatus David, Cogitavi, in-*
 » *quit, dies antiquos, & annos æter-*
 » *nos in mente habui: & meditabar no-*
 » *cte cum corde meo, & exercitabar,*
 » *& scopebam spiritum meum*. Et ite-
 » *rum, Dominus scit cogitationes homi-*
 » *num, quoniam vana sunt*. “ Hacte-
 nus Abbas Moyses: illustrans Scriptu-
 ris variis, tria genera cogitationum,
 & uniuscujusque virtutem, ut superius
 expo-

lumini
 ac pro-
 e gentis
 vel cum
 Audiam
 s Deus
 inquit,
 . Vel
 unà cum
 nos fa-
 , Non
 ini, sed
 itur in
 Expe-
 in me
 o verò
 , cum
 olecta-
 onatur
 , mala
 ins, &
 lucis.
 Et ca-
 misset
 it tra-
 Post
 uscel-

exposuimus; spiritus enim bonus semper movet ad bonum, & ad melius; spiritus malus vel apertè, vel occultè semper rendit ad malum: spiritus proprius, aliàs vana cogitat, aliàs mala, aliàs etiam bona: sed, ut aliquid mereatur, cum Dei gratiâ cooperante.

C A P U T V.

De alio signo ad dignoscendum istas cogitationes; & quanti referat discretionis hujus scientia.

Regula ad distinguendas cogitationes ex parte materiæ sive objecti, priori capite assignata, quamquam generalis esse possit, ad distinctionem earum, quæ adveniunt à spiritu bono, qui semper movet ad bonum; & illas quæ adveniunt à spiritu malo, qui semper movet ad malum: non tamen sufficit ad distinctionem spiritus proprii ex una parte, & spiritus boni vel mali ex altera. Cogitationes enim spiritus proprii, quan-

quandòque repræsentant rem bonam, instar spiritus boni; & quandòque rem malam, ad instar spiritus mali. Alterum ergò signum, sive altera regula necessaria est. Hæc verò desumitur, I. à modo quo res proponitur. II. ab affectu, & dispositione quam in anima relinquit. Atque ut à modo incipiamus; certum est generaliter, spiritum proprium ex natura sua languidum, & debilem esse; atquè plus laboris in discursibus adhibere, virtutemque, & efficaciam minorem afferre, quam afferat spiritus bonus, aut malus. Ratio clara est. Omnis enim qui vel loquitur, vel disputat, secundum vires, & ingenium suum loquitur, & disputat. Si curta supellex illi est, languidè breviterque rem proponit: sin verò hæc ampla est, majori energiâ efficaciâque rem agit. Quoniam igitur in genere spirituum anima nostra infima est, comparata cum spiritibus, & bono, & malo; cogitationes ejus ordinariè remissiores, & minus efficaces sunt illis, quas spiritus potior fortiorque indit. Hinc

Hinc alius promanat effectus observatu dignus: quod nimirum facilius sit proprii spiritus motibus resistere, illosque non laboriosè possimus excutere quoties volumus. Quoniam *ex proprio surgunt motu ipsius hominis*. Circa cogitationes extrinsecè advenientes, non sic: importuniores enim, & obstinatioris hæ sunt. Sicut quando lego, aut quidpiam meditor, desistere ab hoc opere haud gravatè possum, dum lubet: si verò alius mihi loquatur, amandare illum non possum, ut velim, præsertim si pugnax & obstinatus est in eo, quod afferre constituit. Sequitur hinc etiam altera differentia, quæ affectum dispositionemque animæ concernit. *Hi enim qui facile peccant lethaler, & peccatum peccato addunt, ferè solet inimicus noster illecebras carnis, & sensuum delectationes objicere, ut eos teneat peccatis plenos, ac semper cumulum adaugeat: spiritus verò bonus è contrario, conscientiam illorum pungit assidue, & per syn-teresis, rationisque officium à peccando deterret, ut dicitur Regulâ primâ ex priori.*

prioribus de Discretionē. *Aliis* verò
 hominibus, ut Regula proximè sequen-
 ti dicitur, qui se à vitiis, & peccatis
 purgandos curant sollicitè, & in obsequiū
 divini studio magis ac magis indies pro-
 movent, immittit spiritus malignus mo-
 lestias, scrupulos, tristitias, rationes
 falsas, & alias id genus perturbationes,
 quibus profectum illum impediāt. Spi-
 ritui autem bono, ex opposito, proprium
 consuetumque est, rectè agentibus ani-
 mum ac vires addere, consolari, devo-
 tionis lacrymas ciere, illustrare mentem,
 & tranquillitatem dare, sublatis ob-
 staculis omnibus, ut expeditius alacriusque
 per opera bona semper ultra tendant.
 Hos affectus non excitat spiritus pro-
 prius, nisi lentè & remissè, sive tendat
 in malum, sive in bonum: qui præter
 illa quæ ratiocinationem propriam con-
 sequuntur, & ex eâ resultant, in se
 nihil sentit. Verum latior accommo-
 datiorque locus his esse potest. Tracta-
 tus de discretionē spirituum: hic nobis
 sufficiat, tria esse genera cogitationum
 quæ differunt in materiâ, & modo,
 & spi-

bservata
 s sit pro-
 illosque
 quoties
 surgunt
 gitatio-
 on sic:
 nationes
 o, aut
 ab hoc
 n luber:
 andare
 præfer-
 in eo,
 r hinc
 fectum
 it. His
 & pec-
 inimicus
 um de-
 peccatis
 ugeat:
 nscien-
 per sym-
 ccando
 mâ ex
 priori-

& spiritum proprium ut ceteris infirmiore, post adhibitum laborem majorem consequi minus, & languidius objectum proponere, & facilius quam duobus aliis illi resisti posse. Juvabit hæc aliquantò magis enucleare, tum de cogitationibus bonis, tum de malis.

Quod attinet ad cogitationes bonas, quandò intellectus noster se comparat, ut viribus propriis discurrat, v. g. in meditatione; necessarium est ante omnia prælegere materiam meditandam, hanc in puncta determinata dividere, memoriæ hæc imprimere, ut appositè super his suo ordine ratiocinemur ad excitandos effectus desideratos, secundum rationem cujusque genio magis accommodatam: nunc per syllogismos largius discurrendo; nunc per enthymemata strictius; nunc rationibus moventibus, nunc exemplis, nunc similitudinibus utendo; nunc verba quædam aut sententiam ponderando; aut alio denique modo. Quanta verò differentia hic sese aperit, quandò Angelus Domini conatibus nostris supervenit,

ven
Et
vit
sec
rat
vi
qu
Q
in
ac
lu
E
E
m
m
E
K
ne
se
D
E
ol
à
a
(
(

venit, & aspirat ventus spiritus Sancti? Etenim, quæ lex adeò clara? quæ suavitas adeò penetrans? quæ requies adeò secunda? quæ scientia adeò nova? quæ ratio adeò efficax? quæ similitudo adeò viva? quis conceptus adeò subtilis? quod secretum adeò manifestum? Quanta hic intelligentia nullo nostro impendio? quanta scientia sine studio acquisita? Quam liquidè experimur illud: (a) *Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, & medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis.* Felix, ait à Kempis, (b) *quem veritas per se docet, non per figuras, & voces transeuntes, sed sicuti se habet.* Beatus homo, ait David, (c) *quem tu erudieris Domine, & de lege tuâ docueris eum.* Dicebant olim filii Israel ad Moysen, inquit idem à Kempis, (d) *loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus,*

(a) Hebr. 4. 12. (b) de Imit. l. 1. c. 3. n. 1.

(c) Ps. 93. 12. (d) lib. 3. c. 2. n. 1.

ne fortè moriamur. Non sic Domine,
 non sic oro: sed magis cum Samuele pro-
 pheta humiliter, ac desideranter obsecro.
 Loquere Domine, quia audit servus tuus.
 Non loquatur mihi Moyses, aut aliquis
 ex prophetis: sed tu potius loquere Do-
 mine Deus, inspirator, & illuminator
 omnium prophetarum. Quia tu solus
 sine eis potes me perfectè imbuere: illi
 autem sine te nihil proficiunt. Possunt
 quidem verba sonare, sed spiritum non
 conferunt. Pulchrè dicunt, sed tetacen-
 te cor non accendunt. Litteras tradunt,
 sed tu sensum aperis. Mystera profe-
 runt, sed tu reseras intellectum signato-
 rum. Mandata edicunt, sed tu iuvas
 ad perficiendum. Viam ostendunt, sed
 tu confortas ad ambulandum. Illi foris
 tantum agunt, sed tu corda instruis, &
 illuminas, illi exterius rigant, sed tu
 fecunditatem donas. Illi clamant ver-
 bis, sed tu auditui intelligentiam praebe-
 ris. Non ergo loquatur mihi Moyses, sed tu
 Domine Deus meus, aeterna veritas,
 ne fortè moriar, & sine fructu efficiar,
 si fuero tantum foris admonitus, & in-

tus non accensus. Ne sit mihi in judi-
cium, verbum auditum & non factum,
cognitum nec amatum, creditum & non
servatum. Loquere igitur Domine, quia
audit servus tuus: verba enim vitæ eter-
næ habes. Loquere mihi, ad qualem-
cumque animæ meæ consolationem, & ad
totius vitæ meæ emendationem: tibi au-
tem ad laudem, & gloriam, & per-
petuum honorem. Mirabiliter his verbis
 hic divinus scriptor declarat efficaciam
 lucis divinæ, quandò spiritus bonus a-
 nimæ loqui dignatur: describitque
 quantam vim verbis internis afferat,
 quantam auditui intelligentiam præbeat.
 Patet igitur id quod quærimus, quanta
 scilicet sit differentia inter cogitationes
 à spiritu bono advenientes, & proprias.
 Non egent ista declaratione aut proba-
 tione majori: hæc enim supervacanea
 esset expertis; frustranea inexpertis,
 qui hos spiritus boni effectus nequè in-
 telligunt, nequè credunt.

Inter cogitationes spiritus proprii &
 mali, cum proportione differentia
 eadem reperitur. Suggestio enim spi-

H

ritus

Dominus
 uele pro
 r obsecro
 vus tuus
 t aliqui
 ere Do-
 minator
 tu solus
 e: illi
 Possunt
 tum non
 te taceri-
 radunt,
 a profe-
 signato-
 tu iurans
 unt, sed
 illi foris
 ruis, &
 sed tu
 ant ver-
 a prabet.
 , sed tu
 veritas,
 efficiat,
 & in-
 tuis

ritus mali vehemens est, festina, fervida. impatiens moræ, fatigat animum, & inquietam reddit: ut equum generosum fatigat lestor, quem assidue pergit calcaribus. Non cedendum tamen importuno huic lestor, sed standum in propositis prius conceptis: juxta illud (a) *Si spiritus potestatem habentis adiderit super te, locum tuum ne dimiseris.* Id expressè docet S. P. N. cum ait: (b) *Hominem tentatione pulsatum, mirum juvat patientiæ studium: ut qua tentationibus huiusmodi propriè opponitur, & è diametro resistit.* Et iterum: (c) *Tempore desolationis nihil deliberandum aut innovandum est.* Si enim senserit spiritus malus animam tentatione pulsantem trepidare, vacillare, cadere animis: (d) *Nulla, inquit, bestia super terram inimico illo tunc efferatior, acrior, & pertinacior in hominem, ut cum pernici nostrâ malignæ obstinatæque mentis suæ desiderium adimpleat.* Figurandus e-

(a) Eccl. 10. 4, (b) Reg. 8. ex prior discret. (c) Reg. 5. ibid.

(d) Reg. 12. ibid.

nim inimicus ille, veluti (a) *In cathedra ignea, & fumosa sedens, horribilis figura, vultuque terribilis.* Ex qua ejaculatur illa (b) *tela ignea*, ut Apostolus loquitur, quibus excutiendis vix apparet modus. Quæ verò esse possunt illa ignea tela, quæ ex cathedra sua ignea, & fumosa emittit, nisi rationes, quas homo nequè vidit, nequè audivit: nequè cogitatione affecutus est antehac, quarum veritatem obtegit, quasque veluti fumo suo involvit? De hac enim bellua scriptum est: (c) *De naribus ejus procedit fumus, sicut olla succensa, atque ferventis: halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur.* In quæ verba Gregorius: „ (d) Quia „ sicut fumo oculorum acies infirmatur: „ non immerito de ejus naribus fumus „ procedere asseritur, cujus noxiis inspirationibus prava in humanis cordibus cogitatio nascitur, per quam „ acies mentis obtunditur, ne lux in- „ terna

(a) *Medit. de duob. Vexil.*

(b) *Ephes. 6. 16.*

(c) *Job. 41. 11. (d) 33. Moral. 38*

» terna videatur. Quasi enim flamma
 » narium caliginem emittit: quia in
 » reproborum cordibus insidiarum locu-
 » rum aspirationibus ex amore vite
 » temporalis æstum congerit multiplex
 » cium cogitationum. Et veluti fumus
 » globos multiplicat: quia inanissima
 » præsentis vitæ curas in terrenorum
 » hominum mente coacervat. (a) *He-
 » litus ejus prunas ardere facit.* Quia
 » enim prunas, nisi succentas in ter-
 » renis concupiscentiis reproborum
 » hominum mentes appellat? Ardent
 » enim, cum quodlibet temporale ap-
 » petunt; quia nimirum urunt deside-
 » ria, quæ quietum ac integrum esse
 » animum non permittunt. (b) *Et
 » flamma de ore ejus egreditur.* Flam-
 » ma quippe oris ejus est ipsa instiga-
 » tio occultæ locutionis. Prava enim
 » suasionis verba ad uniuscujusque ani-
 » mum facit: sed flamma est, quod
 » ex ore ejus egreditur, quia ardet in
 » desideriis animus cum ejus *sugge-
 » stionibus*

(a) *ibid cap. 40.*

(b) *Job. 41. 12.*

„ stionibus instigatur. „ Hac ratio-
 ne, atque his comparationibus decla-
 rat Gr gorius, vim, & violentiam
 tentationum advenientium à spiritu
 malo. Porrò tentationes quæ prove-
 niunt à spiritu proprio, generaliter
 moderatiores sunt, & superari vincique
 cum gratia Dei facilius possunt. Dico,
 Generaliter: quia, etsi verissimum sit,
 aliquandò à nobisipsis, sive à spiritu
 proprio tentationes insurgere adeò vio-
 lentas, ut dubitari possit, an immit-
 tantur à spiritu malo: illa tamen vis
 non oritur ab hac tentatione per se,
 sed vel à vehementia passionis, vel à
 consuetudine inveterata, vel ab occa-
 sione præente, vel ab humore melan-
 cholico, quæ virtuti imaginativæ us-
 que adeò insidet, tamque debile reddit
 cerebrum, ut energumeno haud absi-
 milis, cogitationibus suis resistendo
 non sit. Vires suas acquirunt cogita-
 tiones istæ, quia principiis non obsta-
 tur, quandò infirmior illarum vis erat.
 Sicut enim qui in declivi præcipitem
 cursum instituit, impetu illo sibi im-
 presso,

H 3. presso,

pressio, jam non est dominus sui motus, neque cursum sistere potest, etiam à nullo alio propellatur: ita simile quid iis evenit, qui propensionibus nature depravatae obsecundantes, tantopere illarum vires & impetum paulatim auferunt, ut à spiritu maligno impelli videantur.

Quanti verò referat jam inde à principio nosse, à quo spiritu cogitationes nostræ oriuntur, annotavit Cassianus his verbis. (a) „ Hanc igitur oportet „ tripartitam rationem nos jugiter ob- „ servare, & universas cogitationes „ quæ emergunt in corde nostro, sagaci discretione discutere: origines „ earum, & causas, autoresque primitus indagantes, ut quales nos eis præbere debeamus, ex illorum merito qui eas suggerunt, considerare „ possimus. „ Hoc ipsum posuit S. P. N. in ipso titulo Regularum suarum de hac materiâ, qui sic habet: *Regula aliquot, ad motus animæ, quos diversis excitant spiritus, discernendos; ut bonum solum*

(a) Collat. I. c. 20.

salva
Re
om
ut
cer
re
ut
qu
ho
est
pr
ni
no
ip
di
ni
ce
po
en
ci
in
di
bi
di
ti
q

solum admittantur, & pellantur mali.
 Rectè dicit, *Regula aliquot*, quis enim
 omnes, vel usquè ad eò exactas assignet,
 ut quovis tempore hi spiritus certò dis-
 cerni possint, plenamque in hoc gene-
 re prudentiam ingenerent? Prudentia,
 ut vulgè dicitur, neque discitur, ne-
 què docetur. Si prudentiæ humanæ
 hoc tribuitur, potiori titulo dandum
 est divinæ, & spirituali. Hæc enim
 prudentia, quando Deus eam commu-
 nicat, facili negotio internoscit inter-
 norum motuum differentiam: sed huic
 ipsi, cui donum hoc datum est, per-
 difficile est Regulas aliis scribere ex om-
 ni parte perfectas, ad motus animæ dis-
 cernendos; quamquam illæ quæ pro-
 ponuntur, huc conferre possint. Quid
 enim facilius unicuique, quam ex fa-
 cierum diversitate discernere homines
 inter se? quid verò difficilius, quam
 diversitatis illius causas exprimere ver-
 bis? Quid facilius quam sapes gustu
 distinguere, odores olfactu, dissonan-
 tiam vocum auditu? quid difficilius
 quam harum discretionum regulas dare?

Tu qui palato tuo gustasti mel, quo pacto mihi dicendo exprimes, quid aut quomodò sapiat, qui mel gustavi nunquam? Odorem moschi, & succini naribus percepisti: ediscere odores istos, ut te clarè intelligam, qui quales sint nescio. Musicus es: doce surdum quid rei sit musica. Sermonibus non dicitur ea distinctio, sed ut ait Job: (a) *Auris verba dijudicat, & fauces comedentis, saporem.* Regulæ igitur discretionis, etsi ad discretionem utiles sint, ipsam tamen discretionem dare non possunt, sed vel pleræque veletiam omnes in discretionem fundantur. Hæc discretio donum est, quod ipse Spiritus sanctus ad fidelium totiusque Ecclesiæ utilitatem ingentem impertit. Ut enim ait Apostolus: (b) *Alii datur prophetia, alii discretio spirituum.* Ut discernas an prophetia à divino, vel diabolico, vel humano spiritu sit, luce divinâ opus est: quam Spiritus sanctus animabus puris, & tranquillis infundit, quâ

(a) *Iob. 12. 11.*(b) *1. Corin. 12. 10.*

quâ adjuvante spirituum differentiam
 assequuntur. Propterea dicit alibi: (a)
*Spiritum nolite extinguere, prophetias
 nolite spernere; omnia autem probate, et
 quod bonum est tenete.* Paucissimis ver-
 bis Regulas omnes colligit Magister
 ille excellens, quæ in hac materia dari
 possunt. Primò igitur, quandò spiri-
 tus claritate sua instar lampadis intelle-
 ctum illustrat, *nolite* inquit *illum extin-*
guere. Sicut enim, ut notat Chryso-
 stomus in hæc verba Pauli, si quis
 lampadi accensæ aquam inspergat, aut
 pulverem, aut validiorem ventum im-
 mittat, lucem ejus extinguit: ità perit
 similiter donum spiritus. Fit etiam sæ-
 penumero, ut nullo externo im-
 pulsu incumbente extinguatur fax:
 quandò videlicet oleum deficit. Oleum
 verò hic sunt opera bona, præsertim
 misericordiæ. Solliciti ergo simus, ne
 lucem spiritus extinguamus, ne in te-
 nebricola nocte ambulemus. Præterea,
prophetias nolite spernere, vilipendendo
 universas. Quamquam enim prophe-

H 5

12

(a) 1. Thess. 5. 19.

tæ quidam falsi inventi sint, prophetas
 tamen veros Ecclesia semper habuit.
Probate igitur omnia, ut edulia proba-
 ri solent: de quibus docet experientia,
 an utilia sint, an noxia. Sic etiam spi-
 ritus probate, & experimini quales sint.
 Audite, legite, excutite, indagare
 per spiritualem discretionis gustum, ut
 si quæ larva lateat, deprehendatur: &
 solum hoc, quod bonum est, retinete.
 En finem, ad quem tendunt omnes
 Regule discretionis. Juvabit hanc do-
 ctrinam Apostoli, audire verbis S. Dia-
 dochii, qui subtilitate suâ solitâ sic dis-
 serit de hac re. (a) „ Oportet eos, qui
 „ certant, animum semper extra per-
 „ turbationum fluctus conservare, ut
 „ mens cogitationes incurrentes dis-
 „ cernens, bonas quidem, & à Deo
 „ missas in penu memoriæ recondat:
 „ malas verò, & damoniacas ex apo-
 „ thecis nature ejiciat. Mare enim,
 „ cum tranquillum est, usquè ad fun-
 „ dum perspicuum est piscatoribus,
 „ ita
 (a) *De perfectione spirituali cap. 26.*
 28.

„ ita ut tunc nihil ferè piscium eos
 „ lateat: cum verò ventis agitur, te-
 „ git tempestate turbida, quæ in pla-
 „ cida tranquillitate largiter facit per-
 „ spici. Ex quo fit, ut ars eorum,
 „ qui piscatorios dolos machinantur,
 „ (procelloso tempore) otiosa sit. Quod
 „ quidem menti, quæ in contempla-
 „ tione versatur, evenire solet tunc
 „ maximè, cum fundum ejus irâ in-
 „ justâ turbatum est..... Solummo-
 „ dò Spiritus sancti est purgare men-
 „ tem: nisi enim ingrediatur fortis il-
 „ le, & diripiat latronem, numquam
 „ illi præda eripietur. Oportet igitur
 „ in omnibus pace animæ Spiritum san-
 „ ctum recreare: ut lucernam cogni-
 „ tionis semper apud nos lucentem ha-
 „ beamus. Ipsa enim in penetrali
 „ mentis splendente, non solum illi
 „ amarulenti & tenebricosi dæmonum
 „ appulsus patefiunt: sed etiam mag-
 „ noperè languescunt, ab illo sancto,
 „ & glorioso lumine deprehensi. Idcir-
 „ cò Apostolus ait, *Spiritum nolite ex-*
 „ *tinguere*: id est, ne per maleficia,

prophetas
 habuit.
 a proba-
 erientia,
 tiam spi-
 ales sunt.
 indagare
 tum, ut
 atur: &
 retinet.
 t omne
 tunc do-
 s. Dia-
 sic dif-
 eos, qui
 trā per-
 are, ut
 ites dif-
 à Deo
 condat:
 ex apo-
 enim,
 ad fun-
 oribus,
 „ ita
 cap. 26.

„ & pravas cogitationes Spiritum san-
„ ctum tristitiâ afficiatis, ne suo illo
„ splendore vos desinat protegere. Non
„ enim æternum illud & vivificum Spi-
„ ritus sancti lumen extinguitur: sed
„ tristitia nostra, sivè averfio ab illo,
„ mentem sinè lumine cognitionis ob-
„ scuram, & caligine circumfusam
„ relinquit. „ Hactenus ille. Atquè
hæc sufficiant de puncto primo à S. P.
N. hic proposito, sivè de principiis ex
quibus oriuntur cogitationes. Jam se-
cundum aggrediamur, modum scilicet,
quo ex cogitatione elicitur meritum, &
peccatum.

CAPUT VI.

Quot modis mereri, & peccare possimus per cogitationes.

ANtè omnia advertendum est, hic non agi de cogitationibus malis in genere, sed de iis dumtaxat, quæ capaces sunt meriti, vel demeriti; virtutis, vel vitii; sive de objective malis. Hæ enim præbent Examini, de quo sermo est, materiam magis propriam: & à S. P. N. per hæc verba designantur, *Duobus modis elicitur meritum ex mala cogitatione.* Mala cogitatio tres habet gradus, ut vulgatissimum est: de quibus Gregorius: (a) „Scien-
 „ dum nobis est, quia tribus modis
 „ tentatio agitur, suggestione, dele-
 „ ctatione, & consensu. „ Hos tres
 modos tangit S. P. N. horum uni-
 cuique dando quod suum est. Ex
 suggestione ait posse elici meritum, ex

H 7

de-

(a) *Homil. 16. in Evang.*

delectatione oriri veniale, ex consensu mortale. Suggestio autem fit dupliciter: vel enim nudè excitatur à sensibus externis, vel illam patitur intellectus, & appetitus. Quæ ab externis sensibus suscitatur, vel producitur à spiritu malo, vel ab objectis sensuum naturalibus. De spiritu malo suggestionem objiciente, per imagines foris apparentes, vel verba aures pulsantia, aliaque id genus, quibus nitatur instigare ad malum, extant plurima in Vitis Sanctorum: verum hæc ludibria externa nullam inferebant invitis mentibus labem. Hujus generis, ut ait Gregorius (a) fuit tentatio Christi.

» Nos, inquit, cum tentamur, ple-
 » rumque in delectationem, aut etiam
 » in consensum labimur: quia de car-
 » nis peccato propagati, in nobismet-
 » ipsis etiam gerimus, undè certami-
 » na toleramus. Deus verò, qui in
 » utero Virginis incarnatus, in mun-
 » dum sinè peccato venerat, nihil con-
 » traditionis in semetipso tolerabat.

» Ten-

(a) *Ibid.*

„ Tentari ergò per suggestionem po-
 „ tuit, sed ejus mentem peccati dele-
 „ ctatio non momordit. Atque ideo
 „ omnis diabolica illa tentatio foris,
 „ non intus fuit. „ Suggestio quæ
 non à dæmone, sed ab objectis exter-
 nis naturaliter excitatur, aliquando pa-
 ri ratione involuntaria est, (etsi enim
 nolim, & omnimodis refrager, cavi-
 deo audioque, quæ interius pariunt co-
 gitationes, & affectus malos:) aliquan-
 do autem voluntaria est. Suggestio
 involuntaria, nullam infert culpam,
 sive à visu, sive ab auditu, sive a co-
 gitatione, motuque animi primo ex his
 oriundo: neque enim hæc in libertate
 meâ fuere, neque prævenire ista potui,
 aut vitare. Quidam Sanctorum Pa-
 trum docent, Virginis Matris privile-
 gium hoc fuisse maximè singulare, non
 tantum omni delectatione, & consen-
 su peccati caruisse, (de quo nemo du-
 bitat;) non tantum ab omni culpæ in-
 ternæ motu primo exemptam fuisse,
 (utpotè à peccati fomite immunem;)
 verum etiam externè ab omni peccati
 illi-

onsenfu
 dupli-
 à sen-
 tr intel-
 o exter-
 oducitur
 ensum
 y fugge-
 nes foris
 llantia,
 ur insti-
 in Vi-
 oria ex-
 menti-
 ut ait
 Christi
 , ple-
 t etiam
 de car-
 ois mee-
 extami-
 qui in
 mun-
 il con-
 erabat.
 Ten-

illicio præservatam fuisse, ad hoc peculiariter cooperante providentiâ Dei, & per inspirationes revelationesque intrinsecas, perque ministerium extrinsecum Angelorum, hæc objecta omnia ab illius sensibus avertente. Hoc prodigium posuit Deus super terram, auferens bella tum interna tum externa, usquè ad fines terræ, hoc est, usquè ad ipsos sensus exteriores, quos in innocentia summâ, purissimâque pace servare dignatus est. Suggestiones vero, quæ voluntariæ sunt, aliquando finem habent honestum, & utilem, id quod Confessariis, & Medicis accidit, qui tum in studiis ad scientiam, tum in alloquiis necessariis ad iudicium, ex charitate, cloacis vitæ appropinquant, ut in has prolapsis opem afferant salutarem: itemque illis, quibus ex debito conditionis, vel officio honestatis incumbit, per visitationes & colloquia, suggestionum illarum periculis se exponere. In his enim ordinariè nullam affert culpam, vel occasio, vel etiam motus primus hinc subortus, ubi non appa-

apparet periculum morale damni majoris. At si causa non tantum sit voluntaria, verum etiam inuicilis, & culpabilis, v. g. Lectio libri lascivi, aspectus objecti inhonesti sive viventis, sive picti; conversatio liberior, aliaque hujusmodi; etsi inde aliud non oriatur damnum, quam ipsa cogitatio, sive motus primus ad malum, & post causam positam hic effectus jam evitari non possit, imputatur tamen ad culpam, quoniam & poterat, & tenebatur vitari causa.

Ut cogitatio mala, & motus ejus primus, sive hæc evenerint sine culpa, sive etiam cum culpâ ob datam causam, reputentur ad culpam: necesse est ut homo advertat ad cogitationis suæ malitiam. Quamdiu enim non advertit illam adversari Deo ejusque mandatis, etsi aliquantisper immoretur, non tamen ea desinit esse motus primus. Quomodo enim offendat Deum, qui non advertit offensam? Multum tamen hic interesse solet inter incipientes, magisque in virtute exercitados. Hi enim ex
timore

timore labendi, & solitudine removendi culpam omnem: mox advertunt, si in intellectu quidpiam à regularationis deflectit, legique Dei contrariatur. Incipientes verò per vehementiam affectuum, & phantasiarum noxiarum consuetudinem, lentius in se reflectunt, & quandoque cogitationi malæ non parum immorantur, priusquam attendant qualis sit, & quò ducat. Hisigitur tamquam languidioribus, non ita arctatur motus primi spatium, sicut perfectioribus: dummodo noverint obstrictos esse se, quamprimum cogitationis malitiam apprehendunt, huic resistere, & à se remove.

In tali ergo suggestione cogitationis malæ, *duobus modis elicitur merium*, inquit S. P. Horum modorum primus est: *Quando suggeritur de patrandi mortali crimine cogitatio, sed ea confestim repugnando vincitur.* Hæc victoria accelerata post luctum brevissimam, principiis duobus adscribi potest. Primo quidem suggestionis ipsius infirmitati, præsertim si à spiritu proprio proficiscatur:

catur: hæc enim per se languidior est,
 & maxime in principio, ac propterea
 facilius superatur. Deinde, cogitatio-
 nis hujus profligatio pugnantis animo
 & fortitudini tribui potest. Si enim
 magnanimum se præbuerit, et si ipse
 demon cogitationem pertinacem sug-
 gesserit; ad primum impetum adverla-
 rius abjicit animos & fugit. Hoc alibi
 docuit S. P. his verbis: (a) *Consuevit*
demon animo & robore plane destitutus,
quoties spiritualem athletam corde imper-
territus, ac fronte ardua tentationibus vi-
det obluetari. Hinc patet, quam salu-
 tare consilium sit, ut tentationibus in
 principio promptè resistatur, sive à spi-
 ritu proprio ortæ fuerint, sive à mali-
 gno: uterque enim spiritus tunc faci-
 lius vincitur, & per moram invalescit.
 Quod si ad primos impetus trepidari in-
 cipias, & quasi animum despondere;
Nulla bestia super terram inimico illo
tunc efferacior, acrior, & pertinacior,
 ut S. P. ibidem.

Alter modus merendi est, inquit
 idem

(a) *Reg. 12. ex prior. de Discre.*

idem Sanctus, *Quando prava istiusmodi suggestioni, semel ac iterum repulsa, & subinde nihilominus revertenti, continuè resistit homo, donec penitus expugnetur: quod quidem victoria genus merito, alterum antecellit.* Ratio patet, quo enim acrius est prælium, hoc victoria illustrior est. Valdè hic notandum stratagema, quod diabolus adhibere consuevit. Vires suas continet, ut certamen extendat, minori impetu tentationem aggreditur, ut diutius teneat. Languor enim certaminis reddit hominem incurium, & imminuit suspicionem peccati: præliique prolixitas, vigorem mentis attenuat, & adducit ruinam. Nam, ut rectè observavit Gregorius (a), „ Tentationum stimuli, „ non quidem acriores, sed longiores, „ minus dolent, sed magis inficiunt: „ quia dum menti diutius inhærent, „ tanto fiunt minus pavendi, quanto „ magis assueti. „ Stemus igitur attentè, neque lassemur resistendo, quando non cessat inimicus urgendo, donec cogitatio radicitus debelletur.

(a) 24. *Moral.* 15.

Se-

Sequitur gradus secundus cogitationis malæ, & peior: quando scilicet à tentationis suggestionem transitur ad delectationem, simulque à statu meriti ad statum peccati, sed hætenus venialis. De quo gradu S. P. sic: *peccat autem leviter aliquis seu venialiter, quando in suborta peccati mortalis cogitatione aliquantulum moratur, quasi auscultando, vel quando aliquã obiter sensus delectatione afficitur, vel in eã retundendã sese exhibet negligentem.* Status hic medius est, inter resistantiam, & consensum deliberatum, qui efficiat peccatum mortale. Venialiter igitur malus est, qui sic delectatur: malitiã vel majore vel minore, pro proportione quã plus minusve accedit ad gradum tertium, & recedit à primo. Hæc culpa nascitur vel ex parte advertentiæ, quæ quidem aliqua, non tamen plena atque integra est, ut dormituriens contingit: vel ex parte deliberationis & consensus, qui imperfectus est; & propterea culpa hæc, non quidem summa est, sed tamen aliqua, ob negligentem cogitationis excus-

iusm-
epulsa,
i, con-
expug-
ius m-
patet,
oc vi-
notan-
s adhi-
tinet,
mpetu
isten-
reddi-
it sus-
lixitas,
dducit
rvavit
imuli,
iores,
iunt:
ent,
uanto
atten-
iando
lonec

Se-

excussionem. Negligentia enim si abesset, non noceret cogitatio etiam pessima: sed pareret meritum, ut iam dictum est. Reum facit intellectum hæc negligentia, quia morulam aliquam facit in objecto prohibito, & attendit ad rem veritam: ream etiam voluntatem, quia obiter aliquâ delectatione hinc afficitur. Atque hæc sunt capita, ad quæ S. P. N. appositè hoc peccatum reducit. Notandum verò, quod etiam si hic revera omne meritum pereat, quod prompta resistentia attulisset, non propterea cadendum animis, neque spem deserendam esse, permettendo ut torrente tentationis in profundum abripiamur. Concipienda potius fiducia est, fore ut succurrat cælum, & accepta vulnera curet, nosque nobis restituat, ut pugnam redintegremus, & victoriam denique referamus. Ad dat animos victoriæ præmium; quod non qualecumque est, sed vita nostra æterna.

Tertius cogitationum gradus est, long que miserrimus, si suggestio & delectatio

de
lu
pe
ag
pr
fe
ti
to
qu
"
"
"
"
"
"
g
d
t
b
c
r
c
s
c
z

delectatio sic afficiant animam, ut voluntas ad consensum, qui mortalis sit, pertrahatur. Id quod adeo secreto peragitur, nisi sedulo invigilemus, ut prius damnum illatum sit, quam inferri sentiatur. Hinc animam tentatione pullatam Job comparat vestimento (a) *Quod comeditur à tineâ.* In quæ verba Gregorius: (b) “Tineâ sine
 „ sonitu perforat vestimentum, & ple-
 „ rumque cogitatio ita transfigit men-
 „ tem, ut mens ipsa non sentiat, nisi
 „ postquam fuerit ejus aculeo trans-
 „ fixa,, De hoc igitur gradu, quo cogitatio pertingit usque ad consentum deliberatum, sic loquitur S. P. *Mortale vero peccatum per cogitationem duobus modis admittitur. Primo, quando cogitationi peccati præbetur quacumque ratione assensus. Secundo, quando peccatum illud opere completur. Idque gravius est ex tribus causis: videlicet, ob majorem temporis decursum, ob actum intensiorem, & ob plurimum denique of-*
 fendi-

(a) Job. 13. 28.

(b) 11. Moral. 25.

pendiculum sive detrimentum. Textus hic per se clarus est. Dubitari potest solummodo, cur non sit additus tertius peccati mortalis modus, cum tripliciter cogitatione peccetur. Primum quidem, quando præbetur cogitationi consensus, cum intentione operis mali, sive verbo sive facto, postea complendi: verba enim in hac materia operibus annumerantur. Deinde, quando voluntas mala, quæ præcessit, opere ipso completur. Denique, quando nullatenus peccato externo, sed interno soli præbetur consensus: sive, quando anima non assentitur operi, sed in sola, & unica cogitationis suæ complacentia conquiescit, quam delectationem morosam dicimus. Sed consideranti patebit, postremum hunc peccandi modum membro primo comprehendi, ita ut modus primo loco nominatus modos geminos complectatur. Unum quidem, quando peccato præbetur assensus, ut peccatum deinde ipso opere compleatur, alterum autem, quando absque ulla operis voluntate, delectationi cogitationis

tior
hæ
rè i
rata
ope
Aff
bus
tali
C
gul
S.
qui
cog
xit
cur
bi
gita
qui
fito
ne
gef
Co
le
mu
qu
pra

tionis mortaliter malæ voluntariè in-
hæretur. Utrumque hunc modum cla-
rè innuit textus, cum ait, *Quacumque*
ratione, hoc est, sive cum intentione
operis, sive absque hac intentione.
Afferuntur igitur modi omnes, qui-
bus per cogitationem peccatur mor-
taliter.

Quoniam verò in hoc capite sin-
gulare adjumentum contulit doctrina
S. Gregorii, egregii morum Magistri,
qui, ut vidimus, motus animi per
cogitationem peccantis accuratè distin-
xit: concludamus hoc ipsum caput
cum eodem Doctore: Sanctissimi Jo-
bi mores quantum ad certamina co-
gitationum solerter perscrutante, &
quidem ordine jam à nobis propo-
sito. Pugna hæc oritur à suggestio-
ne per sensus externos objecta. Sug-
gestionem illam sequitur cogitatio.
Cogitatio excitat delectationem. De-
lectatio ducit ad consensum. Ani-
mus qui consensit, utitur oculis aliis-
que sensibus, tamquam intentionis
pravæ administris, ut peccatum ope-

Textus
i pollet
tus ter-
cum tri-
Primò
gitationi
eris mali,
omplen-
a operi-
quandò
opere
quandò
d inter-
quandò
d in sola,
lacentia
em mo-
anti pa-
ndi mo-
ndi, ita
s modos
quidem,
nsus, ut
pleatur,
ue ulla
cogita-
tionis

re compleat. Hoc ordine peccatur. Ex ignavia igitur & tepore nostro, qui per hanc catenam heu nimium labimur, usque ad ipsum etiam peccati complementum. admirabilis sanctitas Prophetæ Job, curaque extrema sui spiritus ne sensim rueret, luce clarius apparebit. Jobi verba, Deum testem invocantis, & de seipso testimonium dicentis, fusius interpretatur Gregorius, quam ut hic apponi possint: aliqua dabimus, & aliquorum sensum proferemus. Sic loquitur Job, (a) *Pepigi fœdus cum oculis meis, (ne videant objectum illecebrosum,) ut ne cogitarem quidem de virgine.* Ecce, oculis suis interdicit aspectum, ut ne ab aspectu mentem subeat cogitatio. Et quoniam cogitationem subsequi solet delectatio, mox subdit: *Si declinavit gressus meus de via, per delectationem aliquam sinistram, unde incipit peccatum.* "Toties, inquit Gregorius, gressus de via declinat, quoties nostra cogitatio

(a) cap. 31. 1.

„tio iter rectitudinis relinquit. “ Quo-
 niam verò ex delectatione sequi solet
 consensus, quo ferimur in objectum
 prohibitum, sic pergit Job juxta ver-
 sionem vulgatam: *Si secutum est oculos*
meos cor meum; sicut contigit Regi Da-
 vid, cujus oculos cor subsecutum est.
 Quoniam autem cor, quod peccato
 consensit, rursus utitur oculis vo-
 luntati jam depravatæ interservientibus,
 juxta versionem quam Gregorius adhi-
 bet, ait Job: *Si secutus est oculus meus*
cor meum. „ Sicut sæpe tentatio, in-
 „quit Gregorius, per oculos trahitur,
 „sic nonnumquam concepta intrinse-
 „cus, compellit sibi extrinsecus ocu-
 „los deservire. Nam plerumque res
 „quælibet innocenti mente respici-
 „tur: sed ipso conspectu animus
 „concupiscentiæ gladio confoditur.
 „Non enim, ut exempli causâ jam
 „diximus, David Uriæ conjugem
 „ideo studiosè respexit, quia concu-
 „piscerat: sed potius ideò concupivit,
 „quia incautè respexit. Fit verò rec-
 „tæ retributionis examine, ut qui

peccatur.
 nostro,
 nimium
 tiam pe-
 abilis la-
 ue exima
 luce cla-
 , Deum
 eiplo te-
 interpre-
 ric appo-
 & ali-
 Sic lo-
 cum ocu-
 m illece-
 videm de
 interdicit
 mentem
 am cogi-
 atio, mos
 meus de
 iam fini-
 n. “ To-
 gressus de
 cogitatio

„ exteriore negligenter utitur oculo,
 „ interiori non injustè cæcetur. Saepè
 „ autem intrinsecus concupiscentia do-
 „ minatur, & illecebratus animus ad
 „ usus suos sensus corporis famulari,
 „ morè tyrannidis exigit, suisque vo-
 „ luptatibus oculos servire compellit.
 Hoc igitur dicit Job: Neque per te-
 meritatem videre volui, quod poteram
 desiderium excitare: neque deinde per
 concupiscentiam contemplari, si quid
 malè desideravi. Quoniam denique per
 priores gradus dispositus, opere com-
 plet peccatum, concludit Job: *Si ma-
 nibus meis adhæsit macula.* Hoc est,
 Opere non peccavi. “ Quomodo enim
 „ inquit Gregorius, macula in mani-
 „ bus, id est, culpa in actionibus ad-
 „ hæreret, quam censura disciplina
 „ non sinebat in cogitatione profice-
 „ re? Neque enim culpa ad opus pro-
 „ ducere permittitur: si intus ubi nati-
 „ tur extinguitur. Si autem tentatio
 „ ni in corde nascenti festinè non resis-
 „ titur, hac eadem, quâ nutritur, mor-
 „ roboratur, & existens foris in ope-
 „ ribus

„ribus, vinci vix prævalet, quia ip-
 „sam intus membrorum dominam
 „mentem captivam tenet. „ Hæc
 Gregorius.

Ex his omnibus sequitur in cogita-
 tionum luctamine, quemadmodum
 omnis anxietas animi & perturbatio
 non bona est, ita nullam attentionem
 aut prudentiam esse nimiam. Quicum-
 que cladem in hac pugna declinat, mi-
 litem cum adversario congregientem
 imitetur necesse est: cui metus vitio
 vertitur, cautela virtuti; utpote quæ ad
 victoriam faciat haud parum. A lan-
 guore enim & metu, perturbatio &
 diffidentia nascitur: à perturbatione,
 inconsideratio & præpropera festinatio;
 à diffidentia verò pusillanimitas & igna-
 via. Contingitque non rarò, pertur-
 batione ignaviâque suâ propriâ spiritum
 vinci magis, quam robore tentationis.
 Propterea monet à Kempis. (a) *Pau-
 latim & per patientiam cum longani-
 mitate, Deo iuvante, melius superabis,
 quam cum duritia & importunitate pro-
 pria.*

I 3

(a) Lib. I. cap. 13. n. 4:

pria. E contrario nulla attentio nimia est, præsertim quando nobis colloca-
tio est cum spiritu tenebrarum, qui
circuit, ut ait Petrus, *quærens quem de-
voret*: Cumque prælium, ut dictum est,
a sensibus ducat originem: his fenestris
invigilandum præcipuè. Sicut enim
ignis non potest nimis sollicitè arceri
domo, quæ pulverem nitricum custo-
dit, quoniam incuria levis damnum
affert gravissimum, & scintilla minima
perdit omnia: sic etiam hominem, qui
intra se concupiscentiam continet, a-
deò proclivem ad malum, attentum
ambulare oportet, ne per oculos ad
cor penetret ignis peccati. Quisquis
enim sensibus suis ponit custodiam,
tollit culpæ occasiones, & in pace con-
servat cor suum. Quod si interius ab
ipso corde suscitetur incendium: ignis
ille qui clausis sensibus per objecta ex-
teriora non nutritur, facili negotio ex-
tinguitur. Qui in hoc genere laxiora
docent, & in favorem concupiscentiæ
licitum ab illicito subtilius distinguunt;
infirmiitati humanæ laqueos struunt,
carni

carni, & carnalibus desideriis patrocinantur, voluntque sensus nostros in praxi ipsa distinctiones formalitatesque adhibere, quas intellectus ipse vix assequitur.

Hæc dicenda videbantur ad doctrinam S. Patris Nostri circa differentiam peccati mortalis & venialis in materia cogitationum. In quâ nescio equidem an admirer magis prudentiam, brevitatem, exactitudinem, quibus homo litterarum hæcenus rudis ea scripsit quæcumque in hoc genere dici poterant: an verò difficultates, & contradictiones à viris eruditis adversus doctrinam hanc excitatas, unde sanctus scriptor meritum messum uberem retulit, & cogitatio divinitus illi injecta fuit, ut ad studia Parisiensi se transferret, suæque Societatis fundamenta istic locaret. Petrus Ribadineira (a) posteaquam narrasset, quomodo Salmanticæ Ignatius ob doctrinam de peccatis comprehensus, & in carcerem publicum conjectus fuisset, Post aliquot, inquit, detentionis

I 4

(a) *Vita Ignatii* l. I. c. 15.

tionis dies, ad iudices quatuor, viros
 graves & eruditos adducitur: qui li-
 brum Exercitiorum omnes legerant, &
 curiosius expendebant. Hi post varias
 de reconditis Theologiæ materiis qua-
 stiones, Ignatium, qui ineruditum se
 profitebatur, tam doctè graviterque
 respondentem audire, ut omnem ul-
 terius examinandi cupiditatem abjice-
 rent. Unum erat, quod Iudices non
 satis probare videbantur: quod ini-
 tium ferè Exercitiorum spiritualium
 eam doctrinam continet, qua doce-
 mur, cogitationem quæ peccatum
 veniale sit, ab ea cogitatione quæ sit
 mortifera, verè discernere. Id vi-
 tio propterea vertebant Ignatio, non
 quod falsum esset, sed quod cum mi-
 nus esset doctrinâ excultus, ea consti-
 tuerit, quæ discerni absque ma-
 gnâ doctrinâ non possunt. Ad quod
 Ignatius tantum: Verane sint an fal-
 sa, quæ scripsi, vestri iudicii est:
 ego enim meum non interpono. Si
 vera sunt, probate: si falsa, rejici-
 te. Illi autem nullo modo impro-
 bare.

„ bare ausi sunt..... Secundò ac vi-
 „ gesimo die, ex quo capti fuerant,
 „ accersiti sunt à Judicibus, ut senten-
 „ tiam, quæ in eos ferebatur, audi-
 „ rent. Sententiæ summa erat: Vitam
 „ atque doctrinam Ignatii Sociorum-
 „ que integram, nullaque omnino la-
 „ bè asperam videri. Liberum illis
 „ esse, pro sua consuetudine, popu-
 „ lum docere, deque omnibus rebus
 „ divinis colloqui. Illud unum ca-
 „ verent, ne, quid mortale peccatum,
 „ quid veniale esset, definirent, nisi
 „ quatuor adhuc annos in litterarum
 „ studio posuissent. Quam sententiam
 „ tamdiu servaturum se dixit Ignatius,
 „ quamdiu in illorum jurisdictione &
 „ potestate esset. Neque enim esse
 „ æquum, ut nullo vitio in vita de-
 „ prehenso, nullo errore in doctrinâ,
 „ januam sibi ad animarum utilitatem
 „ obstruerent, ac loquendi liberè fa-
 „ cultatem eriperent: se sui juris esse,
 „ suæque vitæ rationibus consulturum⁶⁶.
 Haftenus Ribadineira: ex cujus histo-
 ria licet colligere, quanti fecerit S. P.

t, viros
 qui li-
 erant, &
 ost varias
 iis qua-
 ditum se
 viterque
 nemul-
 abjice-
 ces non
 odini-
 alium
 a doce-
 eatum
 quæ sit
 Id vi-
 o, non
 am mi-
 consti-
 ue ma-
 d quod
 an fal-
 i est:
 no. Si
 rejici-
 impro-
 bare

hanc libelli sui partem, in qua agitur de peccatis. Etenim, ut illam libere propalaret ad animarum lucrum, Hispanias deseruit, & Parisios cum Sociis sese contulit, post annorum aliquot in disciplinis altioribus traductorum curriculum, ibidem Ordinem novum inchoaturus.

Hic finis fit eorum, quæ S. P. N. de materia examinis nobis reliquit. Qui licet solum hoc loco tangat peccatorum mortalium & venialium differentiam: discussio tamen culparum venialium, præsertim personis perfectionis studiosis, nullatenus negligenda est in Examine, ut capite sequenti videbitur.

CAPUT VII.

*Quod Examen quotidianum etiam fieri
debeat de peccatis venialibus, &
imperfectiōibus.*

PECCATA venialia, ipsasque operum
nostrorum imperfectiōnes Examini
quotidiano subjiciendas esse, quantum
lux à Deo inspirata, fervorque spiri-
tus nostri fert, indubitata virorum
Sanctorum, & Asceticorum doctrina
est. „ Neque peccata quæ nobis vi-
„ dentur parva, inquit Chrysoſtomus,
„ (a) contemptim prætereamus, sed
„ quotidie à nobis rationes repeta-
„ mus, & verborum, & spectatio-
„ num: & pœnas de nobis ipsis su-
„ mamus, ut nos à futuro supplicio
„ liberemus. “ Egregius sanè stimulus
executiendi culpas quotidianas, *ut nos
à futuro supplicio liberemus.* Quasi di-
cat: judicemus nosipſos, ut non ju-

I 6

dice-

(a) *Homil. 60. in Genes.*

dicemur. Si Deus ipse descensurus est, ut nobiscum iudicio contendat, culpasque veniales scrutetur: numquid æquum est de culpis istis jus prius dicere adversus nos, ut iudicium divinum declinemus? Si iudicium hoc negligimus, quid nobis restat præter poenam à Deo infligendam? Quis modus poenam hanc evadendi, præter dolorem, & satisfactionem? Hæc ergo Examinis huius officia sunt: Inquirere in culpas istas, dolere, proponere emendationem cum satisfactione. Statigitur, quotidie excutiendas esse culpas leves & veniales. Sint hæc culpæ frequentes, sint exiguæ, attentione fervoreque majori hic opus sit, quam in Examine graviorum: iudicium tamen nostrum subire debent, si desideramus à iudicio divino liberari. „ Quia sine peccato, „ inquit Gregorius (a) electi etiam „ viri esse non possunt: quid restat, „ nisi ut à peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, „ eva-

(a) Lib. 2, in Lib. I Regum: in illud, repleti prius.

„ evacuari quotidie conentur? Nam
 „ qui quotidie non exhaurit, quod
 „ delinquit, etsi minima sunt peccata,
 „ quæ congerit, paulatim tamen ani-
 „ ma repletur, atque ei meritò aufe-
 „ runt fructum internæ saturitatis. „

*Quis potest dicere, Mundum est cor meum,
 purus sum à peccato?* (a) inquit Salo-
 mon. Nemo id ex verò dicere potest.

A peccato enim protoplasti hominis ge-
 nua nostra usque adeo infirmata sunt,
 ut nemo non claudicet in partem dex-
 tram vel sinistram: nemo non teneatur
 sibi ipsi attendere, ne arctentur gressus
 ejus, & currens habeat offendiculum.

(b) *Propter quod*, inquit Paulus, (c)
*remissas manus, & soluta genua erigite,
 & gressus rectos facite pedibus vestris:*
ut non claudicans quis erret, magis au-
tem sanetur. Sanitatem in hoc genere
 unde quaque perfectam, ut nusquam
 deflectatur à viâ rectâ, Deus Virgini
 Matri suæ largitus est, & fortasse præ-
 terea nemini. Peccata graviora per Dei

I 7

gra-

(a) *Prover. 20. 9.* (b) *Prover. 4. 12.*(c) *Hebræ. 12. 12.*

gratiam plurimi vincunt, qui tamen
 levioribus non rarò succumbunt. Ten-
 tationes majores superant, & à minori-
 bus superantur „ Magna est, inquit
 „ Gregorius, (a) omnipotentis Dei
 „ dispensatio, & plerumque contingit,
 „ quibus majora bona præstat, quæ-
 „ dam minora non tribuat: ut sem-
 „ per eorum animus habeat unde seip-
 „ se reprehendat. Quatenus, dum
 „ appetunt perfecti esse, nec possunt,
 „ & laborant in hoc quod non acce-
 „ perunt, nec tamen elaborando præ-
 „ valent, in his quæ accepta habent,
 „ se minimè extollant: sed discant,
 „ quia ex semet-ipsis majora bona non
 „ habent, qui in semetipsis vincere par-
 „ va vitia atque extrema non possunt.
 An igitur difficultas firmandi gressus
 omnes in viâ rectâ, sive potius quæ-
 dam secundum legem ordinariam im-
 possibilitas, remittet manus, & deji-
 ciet animos, ut sanitati integræ non
 studeamus? Absit. Neque enim hoc
 permittit Apostolus: *Remissas manus,*
 inquit,

(a) *Dial. l. 3. c. 14.*

inquit, & soluta genua erigite. Robur applicetur singulare, ubi difficultas major occurrit: & ubi morbus est pertinacior, adhibeatur medicina frequentior. Quod ad illos potissimum dicitur, qui ratione professionis vocati sunt ad sanitatem, & sanctitatem non qualemcumque, sed quantum fieri potest plenam. Neque enim ad virtutem aliquam, sed ad grandem, perfectamque his contendendum est. Grandem autem virtutem voco, quæ renititur culpis etiam minimis: perfectam illam, cui nihil deest. Etsi enim secundum legem ordinariam peccata omnia venialia evitari non possint: at possunt plurima, & unumquodque in particulari vinci potest. Tanta igitur culpas illas examinandi necessitas est, quanta corrigendi: tanta vero corrigendi, quanta adnitendi ad perfectionem, non qualemcumque, sed illam, ad quam Christus adhortatus est, quando dixit: (a) *Estote vos perfecti, sicut & Pater vester celestis perfectus est.*

Porro

(a) *Matt. 5. 48.*

Porro studium hoc non illis solis
 quadrat, quos, cum in virtutem semi-
 tã adultiores sint, perfectos vocamus,
 verum etiam iis, qui hoc iter incipiunt,
 longèque magis. Utrisque, pro viri-
 bus in hoc stadio contendendum est.
 Illis quidem, ut magis magisque in in-
 cepto progrediantur; his verò, ne rur-
 sum eò recidant, unde emerferunt.
 Quemadmodum enim ab infirmitate
 gravi convalescentibus, excessus etiam
 minimus vitandus est, ne relabantur;
 utpote ad recidivam magis dispositis;
 ita etiam illi, qui recenter mundi sale-
 bras evaserunt, facilè aguntur retro,
 præ iis qui magis proveci ab hisordi-
 bus remotiores sunt. Nondum enim
 habent affectus mortificatos, sed vivos
 luctantur etiamnum cum consuetudi-
 nibus adhuc virentibus, majorique lu-
 cta progrediuntur quo desiderant.
 Quamquam enim fræno timoris Do-
 mini, quo primus conversionis zelus
 illos armavit, jam non ita prosiliant ad
 decerpendum ex arbore vetitã fructum,
 ut ante hac solebant: stimulantur ta-
 men,

men, ut eodem accedant, & si non gustu, saltem oculis tantillum inde delibent. Atque hinc fit, ut rursus frænum excutiant: atque ament denuo, quod oderunt. *Qui parvos non vitat defectus, paulatim labitur ad majores*, inquit à Kempis. (a) In parvis enim reculis franguntur affectus etiam pessimi maximique: & occurritur damnis gravissimis, si principiis attendatur. Incipientibus ergò incumbit singulariter levioribus culpis resistere, ne periclitentur de gravioribus.

Quæ de vitæ spiritualis tironibus hæctenus dicta sunt, compendio inculcantur ab ipso Spiritu sancto cum ait: (b) *Quasi à facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa suscipient te. Dentes leonis dentes ejus: interficientes animas hominum.* Quis peccata majora effugiat, quæ colubris comparantur, nisi qui à minoribus cavet: etsi non colubrorum, sed culicum similia sint? A culpis majoribus tanto magis distat.

VO-

(a) lib. I. c. 25. n. II.

(b) Eccle. 21. 2.

voluntas, quanto remotior est à minoribus. Distantior enim est ab odio proximi, qui minimam adversus illum indignationem procul arcet à se. Alienior à verbis caritatem lædentibus, qui verbum refugit otiosum. A fornicatione longius abest, qui qualemcumque luxuriæ suggestionem toto animo averfatur. Fuga enim hæc non fit passibus corporis, sed ab alienatione voluntatis. Neque satis timet colubrum interficientem animas hominum, qui minimum ejus morsum, vel afflatum non formidat. Etenim, adeo fatui quidam, & intrepidi passim sunt, ut metu haud majore propius ad serpentem accedunt, atque si passerculus esset, quo se recreent, & relaxent animum: cum revera appropinquent ad mortem. Propinquus enim odio est, qui indulget iræ: propinquus murmurationi, qui temerè loquitur, propinquus luxuriæ, qui illius imaginatione afficitur: propinquus operibus malis, qui intellectu haud invito illa versare solet. Et quemadmodum in valetudo non magna, si frequentior

quentior est, paulatim enervat vires, viresque naturales sensim atterendo, haud aliter mortem accelerat, atque infirmitas gravis: ita etiam venialia, robur animi perdunt, virtutumque habitus sic attenuant, ut suboriente occasione nova, & tentatione valentiore insurgente, voluntatem pronam abripiant in profundum. Atque hinc evenit, ut quantumvis venialia multiplicata non efficiant mortale: constituent tamen hominem præcipitio. Vicinum, ita ut, quandò minime retur, in foveam cadat. Propterea monet sacra pagina: *Quasi à facie colubri fuge peccata: quia, si accesseris, suscipient te.* Hoc est, adlabuntur, blandientur, efficiunt ut omnem mali metum deponas: donec incautus adeò appropinques, ut dentibus in te involent, & interficiant animam.

Ponderatione dignum est, peccata quandò feriò vitantur, apparere facie serpentina, quæ horrorem incutiat: quandò verò ad illa acceditur animo procliviori, non serpentem, sed rem amabilem proponi. Transformant se scilicet,

scilicet, figuramque induunt quæ procul arceat metum. Quosque ut verissimi colubri, post voluntatis consentum devorant. Hos ante consentum, cum ad se appropinquant, reculâ aliquâ delectabili, sed admodum futilem amanter ad se pelliciunt. Hæc inimici nostri astutia, & in ruinâ nostrâ studio pertinacia est: ut si senserit à facie colubri, quâ obicitur culpa mortalis, turbari animam, fugamque arripere: timorem pellat, illamque attrahere satagat, formicæ faciem induendo, cum proponit peccatum leve, & veniale. Patienter fert omnia, etsi laboret in exiguo: lucroque suo etiam per modico acquiescit. Sed ansam tandem opportunam nactus, in animam istam insilit, & mortem affert. Hæc S. Ephrem præclare docet, modum exponens, quo virtutibus egregiis præditi, per diaboli versutias, spiritualibus opibus spoliantur, & funditus pereunt. (a) „ Intro-
„ ducit, inquit, quæ in morbis animi
„ vi-

(a) *Serm. Ascetico & Exhortat.*
Tom. 2.

„ videntur minima, quibus postea to-
 „ tam eorum naturam labefactat. La-
 „ queos in iis quæ in nobis gerun-
 „ tur (consuetudinibus nostris) con-
 „ stituit: quoniam ex consuetudine
 „ habitum nobis generat pestiferum,
 „ quo alas configimus, (virtutes dico,)
 „ in passione licet exigua, per assue-
 „ factionem. Neque solum alas ac
 „ pennas, sed & corpus ac animam
 „ damno ignominiaque afficimus.
 „ Acriter attendamus ad astutiam ejus:
 „ ne tamquam insipientibus nobis
 „ illudat. Caveamus ejus insidias,
 „ quoniam per eas adversum nos
 „ decertat: ne dum nos velut ex
 „ omni parte securos ducimus, ipse
 „ sibi ingrediendi locum inveniatur. Si
 „ enim tamquam leonem firmâ mu-
 „ rorum circummunitione illum ar-
 „ ceamus: tamquam canis efficitur,
 „ ut propter vilitatem eum minimè
 „ devitemus. Si ut canem excluda-
 „ mus: volucris instar, per fenestram
 „ ingreditur. Metuimus eum, dum
 „ aquilam se exhibet: & mox passer-
 „ culus

uæ pro-
 ut verif-
 onten-
 ensum,
 alâ ali-
 futili
 inimici
 studio
 cie co-
 rtalis,
 pere:
 ce fa-
 cum
 niale:
 in ex-
 odico
 ppor-
 nsilit,
 hrem
 , quo
 iaboli
 olian-
 ntro-
 nimi
 , vi-
 ortat.

„ culus apparet. Ejicimus ut corvum,
 „ & velut apis infilit. Quod si his
 „ omnibus modis innotescat, culi-
 „ cem se fingit: ut in tantilla figu-
 „ ra non exiguum afferat damnum.,,
 Non poterat accuratius exprimi ver-
 sipellis inimici nostri sollicita fraus,
 atque avida sitis ruinæ nostræ. Non
 perdit locum aut tempus: figura quæ-
 libet, quantumvis vilis, & abjecta,
 illi cara est. Si nequeat ad mortale
 inducere: trahere studet ad venialia,
 etiam minima, spatiumque indulget,
 ut ex consuetudine, generetur habi-
 tus pestiferus, qui ducat ad malitiam
 graviolem. Hoc ipsum insinuat S.
 P. N. cum ait: (a) Inimicum nostrum
 suggerere, *quod ex se malum sit.* Si
 in hac suggestionem repellitur, saltem
 id quod avocet à bono, aut ad minus
 bonum impellat. Si neque hoc suc-
 cedit, submittit quod animam ipsam
 defatiget, angat, ac perturbet. Postulat
 ille multum: sed si modicum quid
 accipiat, acquiescit, neque de majori
 desperat.

(a) Reg. 5. ex poster de Discret.

desperat. Accipit, quod datur: & ad plura exstimulat. Denique si vincere nequit ut leo, ut aquila, ut corvus: canem se simulat, avem, passerem, culicem. Quosque à se avertebat per figuram colubri: allicit per viam planam & suavem culparum minimarum & vix perceptibilium, ut hac ratione securos reddat, & timorem eripiat.

Sed enim, inconsiderati illi ruinæ suæ indicia mox percipiunt manifesta. Languor enim orationis, siccitas cordis, oblivio rerum æternarum, contemptus culparum levium, cordis induratio, (a) aliaque his similia, præcedunt faciem Behemoth, signaque sunt serpentem stygium in proximo nidulari. Accedunt timores animi, remorsusque conscientiæ, quibus coluber ille dentes suos incipit ostentare. Cruciantur tepidi illi, qui neque Deo famulantur, neque mundo: dum utriusque stipendiis sese spoliant. Destituuntur enim vitæ hujus deliciis vetitis, neque admittere sibi audent æternas. Si circa
cogitationes

(a) *Job* 41. 15.

cogitationes carnales negligenter se
 habeant, dubitant de consensu. Si
 linguæ frænum laxent, torquentur à
 libertate verborum, ignari an fama
 proximi detractum sit graviter. Si
 indulserint: anxiantur, an hæc dege-
 neraverit in odium deliberatum. Ver-
 mis iste dies noctesque rodit viscera,
 ambulantque veluti inter dentes Be-
 hemoth, & jam jam deglutiendi ab
 illo, de quo scriptum est: (a) *Per-
 gyrum dentium ejus formido*. Tenta-
 tiones graviores his esse solent minoris
 periculi: attentionem enim tunc adhi-
 bent, & cautelam. Majoris periculi
 sunt leviores, ob incuriam: nam
 interea subeunt *dentes leonis interficientis
 animas*. Concludentes hoc Caput
 audiamus Chrysostrum de hac re. (b)
 „ Nullus, inquit, frivolâ se illa ratio-
 „ ne consoletur; quâ universa proter-
 „ vitas in animam inducitur. Illâ
 „ inquam ratione nullus utatur, dicens.
 „ Quid est hoc aut illud? Mille certè

„ hinc
 (a) *Job. 41. 5.* (b) *Homil. 87. in
 Matt.*

» hinc mala oriuntur. Veterator enim
 » malorum diabolus cum sit, magnâ
 » malitiâ, multâ operâ, ingenti studio
 » condescensioneque nonnulla, ad
 » perditionem hominum utitur. A
 » minimis enim plerumque incipit....
 » Repellenda igitur malorum initia sunt.
 » Nam etiamsi per hæc prima ad ma-
 » jora non progredierentur peccata: non
 » essent tamen hæc negligenda. Nunc
 » verò per istam incuriam gradatim
 » semper ascendunt: quapropter omni
 » studio atque operâ funditus principia
 » peccatorum sunt evertenda. Non
 » enim vim delicti solam consideres,
 » neque quia parvum sit cogites: sed
 » illud præcipuè tene, quia si radicem
 » non evulseris, magnum inde pecca-
 » tum succrescet. Mirabile quiddam
 » atque inauditum dicere audeo. Solet
 » mihi nonnumquam videri, non tanto
 » studio magna peccata esse evitanda,
 » quanto parva & vilia. Illa enim ut
 » aversemur, ipsa peccati natura effi-
 » cit: hæc autem, hâc ipsâ re, quia
 » parva sunt, desides reddunt: & dum

K

» con-

enter se
 nsu. Si
 entur à
 an fame
 er. Si in
 ec dege-
 n. Ver-
 viscera,
 tes Be-
 endi ab
 (a) Per
 Tenta-
 minoris
 icadhi-
 periculi
 : nam
 ficientis
 Capue
 c re. (b)
 la ratio-
 proter-
 r. Illa
 dicens.
 le certè
 , hinc
 87. in

„ contemnuntur, non potest ad ex-
 „ pulsionem eorum animus generosè
 „ insurgere. Unde cito ex parvis
 „ maxima fiunt negligentia nostra.
 Hæc & plura Chrysostomus. Unde
 liquet, quotidianum hoc culparum
 venialium examen incipientibus maxi-
 mè convenire, ne rursus abeant
 retro.

C A P U T VIII.

*Qui proficiunt in virtute, & qui perfe-
 cti sunt, majore necessitate debent
 examinare indies, & corrigere
 peccata venialia.*

His qui puritatem conscientia
 sectantur, & de virtute in virtutem
 progredi satagunt, culparum etiam
 minimarum examen necessarium esse,
 haud multis opus est ut perspicuum
 fiat: quoniam non obscure id res ipsa
 involvit. Quid enim aliud est, seipsum
 perficere, & in virtutum palæstra fieri
 meliorem,

melio- rem, quam culpis imperfectionibusque minoribus, & paucioribus subjacere? Secundum Physicam, illa lux clarior est, cui minus tenebrarum adhæret, ille calor intensior, qui minus frigoris habet; illa denique qualitas perfectior, quæ minus participat de qualitate sibi contraria. Consequens est, perfectionem illam majorem esse, cui minus imperfectionis conjunctum est; illamque sanctitatem magis completam, quæ vitiorum nebulis minus offuscatur.

At occurrit hic dubitatio, & quidem primâ specie difficultatis non modicæ. Perfectionem Evangelicam in rebus magnis sublimibusque positam esse, extra controversiam est: quomodò igitur illam ponimus in rebus parvis? Axioma Sanctorum est, non posse animum rebus modicis contineri, qui ad apicem virtutum aspirat: longè igitur abest à vero, perfectionem in rebus parvis consistere. Numquid enim res parva est, renuntiare possessionibus, & relictis omnibus sequi Dominum? Id tamen

t ad ex-
generosè
parvis
nostrâ.
Unde
ulparum
is maxi-
abeant

I.

si perfe-
ebent
gere

scientiæ
virtutem
etiam
m esse,
picuum
res ipsa
eipsum
tra fieri
liorem,

postulat Christus, cum ait: (a) *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.* Numquid res parva est, sic renuntiare honori, ut æquo animo feras, injuriam? sic mortuum esse affectui ad res temporarias, ut iis spoliatus te non defendas, sic libertati, ut vim passus non resistas? Christus autem sic loquitur: (b) *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam præbe illi & alteram.* Et ei qui vult, tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere: *dimitte ei & pallium.* Et quicumque te angariaverit mille passus: *vade cum illo & alia duo.* Non sunt hæc parva profectò, sed maxima. Neque minus hoc: (c) *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Quoniam hæc difficillima sunt: qua veritate asseritur, perfectionem in rebus par-

(a) *Matt. 19. 21.* (b) *Matt. 5. 39*

(c) *Luc. 14. 26.*

vis sitam esse, ejusque sectatoribus examinandos esse defectus etiam minimos?

Ad difficultatem hanc responderi potest dupliciter. Primo quidem, perfectionem in quibusdam rebus exiguis sitam esse, sed præsuppositis aliis majoribus, & gravioris momenti: quæ nisi supponantur, ridiculum sit, in his minutiis constituere perfectionem. Qui nitorem corporis, vestiumque ornatum depereunt, impensius se considerant: ad locum, ad modum, ad situm omnem vanitatum suarum attendunt, his aptandis horas plures traducunt, & identidem speculum tamquam judicem consulunt. Ut bysso splendeant, ut auro gemmisque turgeant, incompositi sibi videntur, nisi rite ordinata sint singula. Quis verò risum teneat, si Theristes hæc agat: & candidante pulvere comas aspergat, & calamistro cincinnos crispet, & genas minio tingat, & hac ratione formosus haberi velit? Quis Irum digitis non ostendet, si in lacernâ mucidâ & obso-

(a) Si vis
e habes,
besaurum

Num-
re hono-
juriam?
s tempo-
efendas,
resistat
) Si quis
mutuam
ci vult,
tunicam
lium. Et
e passus:
non sunt
na. Ne-
it ad me,
matrem,
res, &
m suam,
Quo-
a verita-
ous par-
vis
it. 5. 39

letâ, has easdem aliasque plures minutias, & corpori & vestimentis suis adhibeat, ut bellus & benè cultus appareat. Labor iste, vel membris, vel indumentis decorandis idoneus, supponit corpus & vestimenta, quæ patiantur ornatum. Eâdem prorsus ratione, virtutes illas excellentes, operaque heroica quas supponit perfectio, mirificè illustrat splendor actionum etiam minimarum, etsi animam non perficiant magnis illis virtutibus destitutam: maculæ enim quantumvis levissimæ decora illa majora deturpant. Ad hanc rem mirificè facit doctrina Abbatis Moysis apud Cassianum. (a) „ Non-
 „ nullos mundi hujus maximas facultates, & non solum multa auri atque
 „ argenti talenta, verum etiam prædiorum magnificentiam contemneres, post hæc vidimus pro scalpello,
 „ pro graphio, pro acu, pro calamo commoveri. Qui si contemplationem cordis mundi fixam tenerent,
 „ numquam utique pro parvis rebus
 „ admit-

(a) Collat. I. c. 6.

» admitterent, quod ne pro magnis
 » ac pretiosis incurrerent opibus, eas-
 » dem penitus abjicere maluerunt.
 » Nam & plerumque nonnulli tanto
 » zelo codicem servant, ut eum ne le-
 » viter legi quidem, vel contingi ab
 » aliquo patiantur: & inde occasiones
 » impatientiæ, ac mortis incurrunt,
 » unde monentur stipendia patientiæ,
 » & caritatis acquirere. Cumque om-
 » nes divitias suas pro Christi amore
 » disperferint, pristinum tamen cordis
 » affectum in rebus minimis retentan-
 » tes, & pro ipsis nonnumquam mo-
 » biliter irascentes, veluti qui non ha-
 » beant Apostolicam caritatem, ex
 » omnibus infructuosi sterilesque red-
 » duntur. „ Verissima sanè hæc doctri-
 » na est. Atque hinc apparet quantillis
 » reculis perfectio in illa anima labem
 » contrahat, cui cetera majora non defunt.
 » Quod si hæc non adsint, quæ virtu-
 » tum solidarum basim efficiunt: per
 » macularum tenuium fugam non perfici
 » hominem fatendum est. Quis enim
 » perfectum dicat, qui licet scalpello,

res mini-
 suis adhi-
 appareat
 vel indu-
 supponit
 patiantur
 ratione,
 operaque
 o, miri-
 n etiam
 n perfici-
 titutam:
 imæ de-
 d hanc
 Abbatis
 Non-
 s facul-
 uri atque
 m præ-
 emnen-
 scalpello,
 calamo
 platio-
 erent,
 rebus
 admit-

graphio, acu, calamo, non afficiatur perperam, neque horum jacturâ quidquam commoveatur: facultatibus tamen suis maximis corde adhærescit neque rebus illis eminentioribus ad perfectionem à Christo Domino postulatis ornatur? Si ex arboris trunco statuam effingere meditamur: ante omnia ramos rescindimus, cortice illum exuimus, & securim ac ferraginem adhibentes, magna sui parte illum privamus. Truncus iste his peractis nondum statua est: sed ulterius mutilatur undequaque, & instrumentis aliis atque aliis expolitur, quantumque magis perficitur, tantò particulæ deciduæ sunt minores. Egregius artifex huic operi si manum apponit: insudantem videas, ut stylo acutissimo etiam id abradat, quod cum cecidit, pulverem refert magis quam materiam ligni. Quisquamne igitur inficias ibit, perfectionem statuæ pendere à minimis? Quod si verò hic idem artifex labori huic minuto incumbat, & non nisi particulas illas minimas ab hoc ipso trunco avellat,

avellat, quando iste ramis suis, & cortice, & exterioribus partibus inutilibus etiamnum vestitur: quis non arguat ineptiam hominis? quis imaginem inde speret perfectam? Eodem modo ille, qui à mundo ad Deum convertitur, terrenis affectibus gravis, & vitiorum inveteratorum habitibus oneratus, ante omnia per pœnitentiam sui que victoriam hæc rudiora rescindat necesse est, & vitam discat vivere Christianam. Hac quidem ratione Christi quædam imago efficitur: verum hæc hactenus adeò inculta, & imperfecta, ut sacras illas imagines referat, quæ nonnumquam in plateis occurrunt, tot refertæ defectibus, ut quantumvis assequatur spectator quid repræsentatum velint, pietatem tamen extinguant magis, quam accendant. Tales igitur illi sunt, qui virtutem jam adeptam per ulteriorem Christi Domini nostri imitationem non perficiunt: quæ imitatio in rebus tantò minoribus sita est, quantò magis, perficitur altiusque ascendit virtus. Quis verò illos perfectos dicet,

K 5

qui

afficiatur
urâ quid-
tibus ta-
escit ne-
ad per-
postula-
nco sta-
te omnia
im exui-
dhiben-
ivamus.
um sta-
dequa-
ne aliis
perfici-
int mi-
operi si
videas,
oradat,
ert mi-
quam-
ionem
uod si
c mi-
rticu-
cunco
yellat,

qui minora quidem hæc sollicitè curant, sed affectibus pessimis, & inordinatis habitibus pleni sunt. Tale videri potest jejunium Judæorum, teste Isaiâ, (a) summopere Deo displicens. Ad lites, inquit, & contentiones jejunabant, & percutiebant pugno impiè. Per diem affligebant animas suas, contorquebant quasi circulum caput suum, ut dolorem sibi inferrent, saccum & cinerem sternebant pro cubili, atque in his ponebant perfectionem suam: & interea eripiebant impiè substantiam alienam, & esurientibus ac egenis nihil dabant de sua. Ipsissima hæc justitia Pharisaica est, quam verbis adeò emphaticis reprehendit Salvator. (b) *Ve vobis Scribae, & Pharisei hypocrite: qui decimatis mentham, & anethum, & cuminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, & misericordiam, & fidem..... excolantes sulicem, camelum autem glutientes.... Mundatis quod de foris est calicis, &* parop-

(a) Isai. 58. 4.

(b) Matt. 23. 23.

paropsidis: intus autem pleni estis rapi-
nâ, & immunditiâ Similes estis
sepulcris dealbatis, quæ à foris parent
hominibus speciosa, intus verò plena sunt
ossibus mortuorum, & omni spurcitiâ.
Utinam Christiani plurimi non sint
horum similes: intus pleni rapinâ, &
immunditiâ, deforis autem devotionis
frigidae apparentiam præferentes, nihil-
que præterea possidentes. Sequitur ex
dictis, sic in rebus istis minimis stare
perfectionem, ut res majores supponat:
his suppositis, virtutum præstantium
possessori sollicitè incumbendum esse,
ut defectus suos exiguos eradicet.

Ad difficultatem propositam etiam
aliter responderi potest: admittendo in
rebus illis magnis virtutum perfectarum
excellentiâ sitam esse: ita tamen, ut
ad res etiam minimas se extendat. Id
inculcat à Kempis locis pluribus: ut
cum ait. (a) *Domine quoties me resi-
gnabo, & in quibus me relinquam?
semper & omni horâ: sicut in parvo, sic
& in magno. Nihil excipio, sed in*

K 6.

omni-

(a) lib. 3, c. 37. n. 1.

omnibus te nudatum inveniri volo. Alio-
 qui, quomodo poteris esse meus, & ego
 tuus, nisi fueris ab omni propria volun-
 tate intus & foris spoliatus? Notissi-
 mum est, Sponsam Canticorum cum
 nocte quadam decubisset, advenien-
 tem ad se Sponsam, & ingressum po-
 stulantem, adegisse ut declinaret atque
 transiret. Declinationis hujus, & tran-
 situs causa hæc erat: quod Sponsa ostio
 cubiculi sui pessulum obdidisset. Pes-
 sulum hunc interpretatur Richardus à
 S. Victore, (a) negligentiam quamli-
 bet etiam minimam animæ perfectæ,
 quæ Sponsam divinam ab illa potest
 alienare. Puta conversationem, cogi-
 tationem non undequaque rectam,
 studium commodi sui, recreationem
 corporis, libertatem sensuum, & si-
 milia. Quandò his immiscetur aliquid
 vel inutile, vel superfluum, pessuli
 nomine hæc venire possunt. Res enim
 parvæ sunt, ut pessulus: sed totam ja-
 nuam Sponso occludunt, quo minus
 ingrediatur cordis nostri cubiculum,
 illudque.

(a) cap. 38. in Cant.

illudque gratis suis ditet. Numquid pisciculus parvus est, quem Remoram vocant? Hic tamen navim maximam sistit, innotamque tenet, nihil agentibus & remis & ventis, ut cursum hæc suum promoveat. Res intellectu difficilis: quam tamen docuit experientia. Defectus quilibet ad virtutum perfectionem aspirantibus Remora est. Liqueat igitur, ob utramque rationem jam dictam, & proficientibus, & perfectis ad arcendas culpas leves, & imperfectiones strenuè laborandum esse: atque his examinandis dandam esse operam diligentem, diligentio rem etiam emendandis.

Hoc ut agant, adjumenta sese offerunt tantò majora, quantò anima magis proficit. In primis enim, ultra experientiam studiumque proprium uniuscujusque, ad defectuum minorum notitiam confert plurimum lux divina: per quam anima procedens de virtute in virtutem, transit etiam à *claritate in claritatem*. (a) Anima enim magis

K 7

illu-

(a) 2. Cor. 3. 18.

o. Alio-
, Ego
a volum-
Notissi-
im cum
lvenien-
im po.
et atque
& tran-
sa ostio
Pef-
rdus à
uanli-
ectæ,
porese
cogi-
ctam,
ionem
& si-
aliquid
pessuli
senim
am ja-
minus
lum,
adque

illustrata, errores suos clarius intuetur, ut docet idem Richardus: (a) quantoque altius ascendit, tanto viliores se agnoscit. Tunc enim apparet, cogitationes plurimas, & verba, & actiones peccata esse, quæ ante hac non reputabantur peccata. Similitudinem affert Bonaventura (b) radii solaris per fenestram immissi. Ut enim accurate omni domus mundata sit: ad hanc tamen lucem comparent sordes hactenus latentes, ipsæque atomi palam se produnt. Ad hunc modum animus, quem divinæ gratiæ lumen irradiat, affectuum suorum nexos, & vitiorum minorum afflatum magis assequitur. Quantum puritas animi crescit, tanto illi sua immunditia exploratior est: quique virtutibus sublimioribus splendet, plures sui deprimendi reperit causas. Ita sentiunt Sancti communiter. Non invenias in ullo genere artificem excellentem, qui lapsu temporis non censeat ipsemet, opus suum imperfectum esse,

&

(a) Cap. 34. in Cant.

(b) Specul. par. 2. c. 3.

& emendationis indigum non unius :
 quod in principio arbitrabatur nume-
 ris omnibus absolutum. Imperiti artis
 asserent frustra hos artifices laborare ,
 veluti qui rem actam agant : sed periti
 aliud iudicabunt. Sic etiam anima ,
 opitulante experienciâ luce que divinâ ,
 cum ad eminentiorem virtutis gradum
 processerit ; deprehendit , detestatur ,
 & corrigit ea , quæ hæcenus ignora-
 bat. Contraria enim contra se po-
 sita quasi facem accendunt , ut se mu-
 tuo aperiant , magisque innotescant.
 Quantò vestis candidior est , tantò
 facilius detegitur macula. Quantò sa-
 nius corpus , tantò sensibilibior minima
 intemperies. Erubescet vir nobilis
 die etiam feriato , dum incedit habitu
 tantillulum incomposito : pauperem
 verò eodem habitu illo indutum , vel
 ipso die Paschæ inflabit superbia. A-
 nima candens virtutibus , detegit ma-
 culas suas etiam minimas , & spurci-
 tiam levissimam averfatur. Anima be-
 nè sana , Deoque suo conjuncta , malè
 afficitur erga imperfectionem quam-
 libet ,

tuetur,
 quanto-
 rem se-
 et, co-
 z actio-
 ac non
 idinem
 ris per
 accura-
 d hanc
 hæc-
 am se
 mus ,
 diat ,
 orum
 uitur.
 tantò
 : qui-
 ndet,
 aulas.
 Non
 xcel-
 nseat
 esse,
 &

libet, levissimoque voluntatis inordinatae motu turbatur. Animam, & à natura, & potissimum à gratia, nobilitatis esse eximiæ negari non potest, atque ipsa compertum habet: quando igitur dignitati per peccatum perditæ restitutam Deoque caram se esse intelligit, non opus est centonibus filii prodigi illam circumdari, ut verecundetur; sufficit ornatus dignitatisque suæ imminutio quælibet, ut eam detestetur, & horreat. Quotquot enim virtutes possidet, tot monitores atque excitatores intra se continet, ut defectus etiam minimos aversetur.

Ad priora fugandarum culparum leviorum incitamenta, superaddi possunt alia, quæ culparum earumdem aversionem, & horrorem incutiant. Tantò scilicet in viro profecto gravio-rem esse defectum quemlibet, quanto magis is obstringitur hoc defectu carere. Etenim peccata quæ incipientibus levia reputantur, censentur gravia in perfectis: ut docet, Isidorus Hispalensis: (a)

Pecca-

(a) de Summo bono cap. 8.

Peccatum enim augetur à dignitate peccantis; & secundum mensuram meritorum crescit mensura delicti; & in personis majoribus castigationem subit, quod in minoribus condonatur. Præterea, sicut perfecti singularem à defectibus venialibus patiuntur jacturam, ita ab his abhorrere debent titulo singulari. Motivum hoc in imperfectis non habet locum: utpote qui levioribus culpis impliciti nihil perdere sibi videntur, vixque damnum intelligunt quod ipsa parit culpa lethalis. Quantum verò perfecti etiam à levibus referunt cladem? Destituuntur favore Dei speciali: privantur gratiâ devotionis: averſam sentiunt Dei faciem, cum ad illam accedunt. Supplicium sanè pergrave, dulcedinem divinam expertis. Sed neque illi qui Deum diligunt corde toto, quotiescumque mandatis ejus parendum est, ad hoc attendunt an mandatum grave sit, an leve: at hoc unicum spectant, an mandatum sit. Et salvâ semper differentiâ peccati mortalis & venialis, nullum illis apparet manda-

s inordf-
n, & à
, nobi-
potest,
: quan-
um de-
aram se
entoni-
ri, ut
ignita-
ut eam
not e-
itores
t, ut
orum
pos-
ndem
tiant.
avio-
tran-
u ca-
tibus
per-
:(a)
cca-

mandatum parvum, quando magnus est is qui mandat. Universim & sine diviticulis cum sanctissimo Davide dicunt: (a) *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Hoc sensisse videtur Basilius, quando docuit viros Religiosos de culpis etiam levissimis corripiendos esse. Sic enim quærit: (b) „ Si quis de levissimis etiam peccatis fratres acriter nimis urgeat, ac dicat, de iis pœnitentiam eos agere debere, numquid is inclemens habendus est; & everfor caritatis? „ Et respondet: Cum asseveranter Dominus affirmaverit, quod jota unum, aut apex unus non præteribit à lege, donec omnia fiant; cumque idem etiam pronuntiaverit, quod omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii; nihil omnino tamquam minutum contemni debet. Qui enim rem contemnit, inquit, contemnetur ab ea. Quamquam quis est qui peccatum ullum, cujuscumque modi illud

(a) *Pf. 118. 4.* (b) *Regula 4. ex breviorib.*

„ Iud sit, leve audeat appellare? Cum
 „ asseruerit Apostolus, quod per trans-
 „ gressionem legis Deum inhonoras. „
 Hæc Basilius, vim in eo constituens,
 quod nullum peccatum leve sit, prop-
 terea quod peccatum omne aduersetur
 legi divinæ: & qualicumque legis vio-
 latione legislatoris honori iactura inte-
 ratur.

Hoc verò propriè concernit viros
 spirituales & perfectos, qui sibi in om-
 nibus præfixum habent Deum, ut le-
 gis autorem: non verò imperfectos,
 qui solam sibi præfigunt legis materiam.
 Inter ministros regios, quorum alii
 sunt à cubiculo, alii à culina, hæc dif-
 ferentia est: hos flocci facere volunta-
 tem regiam in re minima, sed illam so-
 lam æstimare, quæ pœnas graves inten-
 tat: illos autem, utpote in oculis po-
 sitos, & in Regis præsentia famulan-
 tes, mandatis gravibus & levibus æque
 diligenter obsecundare. Si enim de-
 fuerint in minimo, quoniam in præsen-
 tia Regis versantur, verentur meritò,
 ne Rex faciem suam avertat, ejusque
 gratiâ,

magnus
 & sine
 vide di-
 ata tua
 videtur
 Religio-
 ripient-
 „ Si
 tis fra-
 dicat,
 lebere,
 us est;
 ondet:
 firma-
 pex u-
 com-
 a pro-
 am o-
 nomi-
 in die
 n mi-
 enim
 netur
 pec-
 di il-
 lud
 iorib.

gratiâ , & speratis favoribus excidant.
 Idem prorsus evenit illis , qui postea-
 quam oculos sensusque omnes perituris
 rebus clauserunt, familiariter conver-
 santur cum Deo. Quod si illi qui in
 conspectu Dei stant, eidemque in ejus
 præsentia famulantur, Deum timent
 offendere, judicantque se officii servi-
 lis debito, honorique Domini sui dees-
 se, si voluntati ejus vel in minimo re-
 fragentur: quid de animabus illiscen-
 sendum est, quas divina Majestas non
 habet ut famulas, sed ut sorores, & ut
 sponas? Dicamus id, quod Augusti-
 nus de peccatis venialibus dicit: (a) „
 „ Quæ quamvis singula non lethali
 „ vulnere terire sentiantur, sicuti ho-
 „ micidium, & adulterium, vel cætera
 „ hujusmodi: tamen omnia simul con-
 „ gregata, velut scabies, quo plura
 „ sunt, necant, & nostrum decus ita
 „ exterminant, ut ab illius Sponsi spe-
 „ ciosi formâ præ filiis hominum,
 „ castissimis amplexibus separent. „
 Qua ratione venialia multiplicata necem
 animæ

(a) Homil. 50. inter 50. cap. 3.

animæ inferant, superius dictum est: etenim ad hanc mortem disponunt. Et ut spiritum non occidant, per se tamen turpitudinem quamdam afferunt: & illorum quodlibet ictu modico animam lauciat, eamque reddit leprosam & spurcam. Quid autem miri ab illorum multitudine foeditatem istam produci: cum Bernardus etiam paucula vocet (a) „ Deformitatem, neque interim mereri animam illam audire, „ *Tota pulchra es amica mea.* „ Quod si studium tam sollicitum, tamque exquisita diligentia passim adhibeatur, ut corpus pulcritudine sua humanis oculis placeat: ne miremur animas quadantenus favores Sponsi sui expertes, ornamento suo studere, ut decorem hunc Rex concupiscat.

Motivis ad ingenerandam culparum levium alienationem propositis superaddi possunt etiam hæc. Primo, figendum semper mentis oculum in exempla perfectiora: utpote quæ sint racita quædam admonitio, vivaque reprehensio

dete-

(a) *Serm. 29. ex parvis.*

defectuum nostrorum. Documentum
 hoc, quod momenti sanè permagni est,
 audiatur verbis Gregorii, qui de iusto
 sic scribit. (a) „Sanctorum virorum
 „exempla conspicit: atque eorum
 „comparatione se pensans, iniquum
 „se esse deprehendit. Qui enim ple-
 „nissimè intelligere appetit qualis sit,
 „tales debet conspiciere qualis non est:
 „ut ex bonorum formâ metiatur,
 „quanto ipse deserto bono deformis
 „est. Ex his quippe quibus plenissi-
 „mè bona adsunt, perpendit rectè quæ
 „sibi minus sunt: atque in illorum
 „pulchritudine conspicit foeditatem
 „suam, quam in seipso, & potest
 „perpeti, & sentire non potest. Lu-
 „cem namque debet conspiciere, qui
 „vult de tenebris iudicare: ut in illa
 „videat, quid de tenebris æstimet, per
 „quas videre præpeditur. Peccator
 „namque si incognitâ vitâ iustorum
 „semetipsum conspicit, peccatorem se
 „nullatenus comprehendit. Videre
 „enim se non potest, quia fulgorem
 „lucis

(a) 24. Moral. 6. alias 9.

„ lucis nesciens, cum seipsum con-
 „ spicit, quid aliud quam tenebras
 „ attendit? Justorum ergo debemus
 „ vitam conspiciere, ut subtiliter de-
 „ prehendamus nostram. Illorum vi-
 „ delicet species quasi quædam forma
 „ nobis imitanda proponitur: quia
 „ viva lectio est vita bonorum. „ Et
 post multa in rem eandem sic pergit
 (a) „ Sed hæc reprobi nesciunt: quia
 „ mentis oculos semper in infimis pre-
 „ munt: quia & si quando in viam
 „ Domini veniunt; non ad meliorum
 „ vestigia, sed ad intuenda semper de-
 „ teriorum exempla vertuntur. Ne-
 „ que enim eorum vitam considerant,
 „ quibus se humiliando postponent:
 „ sed quibus superbiendo se præferant.
 „ Deteriores namque respiciunt: qui-
 „ bus meliores se esse gloriantur, & id-
 „ circo proficere ad meliora non pos-
 „ sunt, quia hoc sibi sufficere æsti-
 „ mant, quod pessimos antecedunt. „
 Hæc Gregorius. Ut igitur culpæ pro-
 priæ etiam leves ad cognitionem no-
 stram

(a) *Ibid.*

entum
 ni est,
 e justo
 rorum
 eorum
 quum
 n ple-
 lis sit,
 on est:
 atur,
 ormis
 nissi-
 è quæ
 orum
 atem
 ocest
 Lu-
 , qui
 n illa
 t, per
 cator
 orum
 em se
 idere
 orem
 lucis

stram perveniant, conducit plurimum perfectiorum exemplum: exstimulatque acriter ut illas detestemur.

Ex hoc motivo sequitur aliud, timor scilicet ne aliis præbeam exemplum malum, & per eos qui defectus meos observant & imitantur, introducatur accidia inter fratres, relaxeturque disciplina religiosa. Etenim, cum reperiantur nonnulli desides qui pigritiam suam lactant illorum factis & exemplis, quos constat malos esse; quique sibi blandiuntur, si sese aliquantulum hisce meliores comperiant: quanto magis confirmabuntur horum vitia, si exemplo malo præeant illi, qui in omnium animis virtutis existimationem alciverunt. Procul dubio his, qui sublimiorem virtutum gradum profitentur, & veluti Regula viva cæterorum oculis expositi sunt, quædam actionum diligentius excutiendarum incumbit necessitas. Quod enim in persona illorum particulari fortasse leve est, id cum ad convictores cæteros istius vitii conscios se extendit, fit gravissimum. Heu quot damna,

dar
me
vio
illi
ant
file
&
loc
oti
cu
die
res
ist
La
fan
hæ
ter
ni
nit
ad
mi
cal
tis
ni
m
de

damna, quamque immedicabilia detri-
 menta nasci videmus, ex defectus le-
 vioris contemptu! Præsertim si deficient
 illi, quorum erat exemplis melioribus
 antecedere. Quidam incipit viol
 silentium: paulò post liberius gæ
 & profundit verba quovis tempore
 loco: familiaritates ambit inutiles &
 otiosas: locios quærit, neque enim se-
 cum ipse sermocinari potest. Intra
 dies haud multos, imitatores & sectato-
 res habet complures, qui loquacitatem
 istam censurant, ut malum non grave.
 Labente tempore, fraternæ caritatis
 sanctæque benevolentia velo palliabitur
 hæc dicacitas, sine qua non possit in-
 ter homines unio conservari. Denique,
 nisi principiis obstetur, fabularum gan-
 nitus, patrocinantibus languidioribus,
 ad toleranda onera, & occupationes, &
 ministeria Religionis necessarius judi-
 cabitur: imo imprudentiæ & temerita-
 tis condemnabitur Superior, qui appo-
 nit manum remedio. Unde obsecro
 mala hæc, nisi à culpis levioribus? Quan-
 do istæ primitus dissimulantur, & ac-

L

cele-

arimum
ulatque

timor

um ma-

eos ob-

tur ace-

discipli-

perian-

m suam

, quos

blan-

ce me-

is con-

emplo

nium

al cive-

limio-

ur, &

oculis

n dili-

neces-

lorum

um ad

ncios

a quot
amna,

Celeratis antidotis non sistuntur, sub
 rationum apparentium velamine, ipsæ
 culpæ mox defensores inveniunt homi-
 nes spiritu vacuos, & in consuetudinem
 abeunt, & in vivendi regulam tradu-
 cuntur, primo quidem probatam ipso
 facto communiter, deinde verbis etiam
 propugnatam à pluribus. Efficacissi-
 mum igitur culparum venialium & de-
 fectuum leviorum examinandorum ex-
 citamentum est, zelus observantiæ, a-
 morque disciplinæ: ut cum Davide di-
 camus, (a) *Domine dilexi decorem do-
 mus tuae.*

Non transeamus ad caput sequens
 prætermittis pœnis purgatorii, quibus
 post hanc vitam culpæ veniales etiam
 levissimæ subjacent. Sed quoniam lo-
 quimur perfectis, vim nunc quidem in
 pœna sensus non pono, quamquam ea
 tanta sit, ut deterrere plurimum ab hoc
 reatu possit etiam imperfectos: sed in
 pœna damni, & visionis beatæ pro-
 rogatione. Hujus enim minima prote-
 latio pœna summa est sitientibus fon-
 tem

(a) *Pf. 25. 8.*

tem aquarum viventium. Consentiant enim huic qui dicit (a) *Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Si ergo defectus levis vel unâ die detineat animam in Purgatorio, conspectumque Dei retardet; moram hanc mille curis, mille lacrymis, mille cruciatibus redemptam optant: quoniam una dies in atriis Dei millenis aliis anteferenda est.

C A P U T IX.

Capita ad quæ reduci possunt Peccata venialia, ut examinentur, & in Confessione detegantur.

AD removendam difficultatem, quæ in peccatorum venialium atque imperfectionum examine occurrere potest: haud abs re fuerit, ad certa quædam capita & determinata hoc omne culparum genus deducere, quæ manuducant animam, ne labore contentiore, fructuque minori in hoc exercitio divagetur. L 2 Ad

(a) *Pf. 83. II.*

Ad tria capita, Culpæ omnes referrî
possunt: nimirum, COGITATIONES,
VERBA, ET OPERA.

Cogitationes oriuntur, vel à nobis:
vel à mundo, à demone, à carne,
inimicis nostris; vel à spiritu bono,
qui a Deo egreditur, & conducit ad
Deum. His quinque cogitationum
generibus, cum proportione respondent
genera totidem verborum & operum,
quibus culpa vel imperfectio subesse
potest.

COGITATIONES OTIOSÆ.

Cogitationes quæ à nobisipsis nati-
cuntur, ordinariè sunt illæ, quas O-
tiosas vocamus: quales sunt, evagatio
mentis ad res inutiles, ratiocinationes
ad nihil servientes, dispositiones de re-
bus numquam futuris, timor eorum
quæ numquam accident, spes eorum
quæ numquam evenient. Alias popu-
lis leges condimus potestate Regia; a-
lias potestate Ecclesiastica jus dicimus;
alias inter barbaros agimus ut Aposto-
li;

li; alias tormentis subijcitur ut Martyres; alias miracula patramus, qui peccatis operti sumus. Centum aliis phantasiis istiusmodi illuditur vis animi imaginativa: dumque illis equis vecti magnum iter conficimus, ad rem præsentem non attendimus, quæ hic & nunc curæ nostræ committitur.

VERBA OTIOSA.

His cogitationibus respondent verba, quæ omni utilitate fructuque carent, & propterea otiosa dicuntur.

OPERA OTIOSA.

Sunt & opera otiosa: vel quia perditur tempus, nihil agendo: vel quia id quod agitur, nullius fructus est. Si enim verbum infructiferum dicitur otiosum: tale opus æquè ac magis hoc nomen meretur. Huc spectant colloquia quæ ad nihil conducunt, ludi superflui qui recreationis honestæ mensuram excedunt, visitationes profusiores, excursions

fiones exorbitantes. Etsi enim dici
 soleat, atque ita sit, naturam non ter-
 re spatium ab omni prorsus opere va-
 cuum: lagena tamen quæ aëre repletur,
 vacua dicitur, quoniam eo caret ad
 quod fabricata est. Sic etiam, etsi
 nullum nobis transeat tempus usque
 adeò otiosum ex omni parte, ut nihil
 prorsus agamus: otiosum tamen dici-
 tur, cum non agitur id quod agendum
 est, vel cum id quod agitur sine fructu
 est. Tempus nobis preciosum & bre-
 ve, ut promoveamus salutem nostram,
 illamque in tuto collocemus. Crea-
 turis ceteris omnibus in cælo & in terris
 opera sua præscripta sunt: hominem,
 principem aliarum, nihil agere in hoc
 mundo, displicet Deo Creatori, que
 vult esse plantam benedictionis, & co-
 gitationibus, & verbis, & operibus
 fructificantem. Commiseratione dig-
 ni sunt steriles illi, qui non alio fine
 transigunt tempus, quam ut transeat.
 Infelices animæ! mundum hunc ingres-
 sæ sunt ut agant, & nihil agunt.

COGITATIONES VANÆ ET
SUPERBÆ.

Secundo loco veniunt cogitationes vanæ, quæ Mundo propriæ sunt: Mundo, inquam, inimico nostro. Hæ ordinariè sunt, vanitas, existimatio propria, præsumptio, superbia: quæque hinc sequuntur, proximi despectus & contemptus. Hinc illa in animam ingreditur quasi idololatria, quâ quilibet seipsum adorat intra se, collocando seipsum loco alto & eminenti, contemplando dotes suas, illis acquiescendo, illas admirando, desiderando ut alii sibi curvent genu tamquam majori, existimando prærogativam hanc sibi deberi. Hinc ambitio nascitur, & quod vocant punctum honoris: concomitante desideriorum, curarum, timorum exercitu, circa munia, locum, officia urbanitatis. Et quemadmodum ventosa tormina intestinorum in corpore, ita cogitationes istæ in spiritu, dolores acres & continuos, inquietudines, & tristitias procreant. L. 4. VER-

VERBA JACTABUNDA.

His cogitationibus junguntur verba jactantiæ, laudis propriæ, ostentationis vanæ, sive apertè, sive occultè, & cum aliqua dissimulatione, fictâque modestiâ: ita ut seipsum laudent cum deprimunt, excusent cum accusant, cumque alios attollunt seipsum anteferrant. Vulgatissimæ sunt hæc fraudes, & latentem superbiam perfectè occultare non possunt.

OPERA AMBITIOSA.

Opera Mundi sunt, quæ pullulant ex ambitione: ut, quærere primos accubitus in mensis, & primas cathedras in synagogis, teste Christo. Mirum, qua ratione, & unde spiritus hic Pharisæicus in illos etiam ingressus sit, qui perfectionem Evangelicam sectantur: ita ut depositâ larvâ, & apertè pro his pugnent, affligantur quandò his cendum est, & conatu toto hæc assequi studeant.

studeant. Huc etiam pertinet genus omne hypocrisis, fictionis, dissimulationis: ut esse videamur, qui tamen non sumus; atque æstimemur ultra meriti nostri mensuram. Item, quando operis intentio sinistra est: hæc enim inficit opus, etsi aliàs bonum. Quando scilicet applausum aliorum, æstimationem vanam, gloriamque humanam venamur. Hanc honoris mundani & superbiæ tentationem superare, perdifficile est: videturque diabolus huc dirigere pharetræ suæ sagittas omnes, ut S. P. N. in Exercitio de duobus Vexillis annotavit, atque in Parentibus nostris primis patuit, quibus illud suggestit, *Eritis sicut Dii*. Ex illorum lapsu, omnes posteri eorum ex hac parte claudicamus.

COGITATIONES CARNALES.

Tertium locum tenent cogitationes omnes, quæ ad carnem pertinent. Inimicus importunissimus caro est, &

L 5 qui

qui fugari non potest. Cogitationes inimici hujus concernunt commoda, epulas, delectationes sensuum. Ut quando cogitatio de cibis prævenit horam refectionis; vel desiderantur edulia delicata, ob quam culpam filii Israël in deserto poenas dederunt, vel quando immergitur intellectus discursibus de ratione quâ gustui deliciisque cujuslibet sensus satisfaciatur; vel quando occurrunt cogitationes turpes: periculosa hæc res alex est, bellumque molestum, quod incendit inimicus domesticus, quem cogimur sustentare.

VERBA INHONESTA.

Ad has cogitationes pertinent verba, quæ generatim à fidelibus arcet Apostolus, cum ait; (a) *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos: aut turpitudine, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Primò,

(a) Ephes. 5. 3.

Primò igitur, non loquendum de peccato ullo inhonesto: hæc enim omnia exulare jubet Apostolus tribus verbis prioribus: *fornicatione, immunditiâ*, (qua voce designatur omne opus obscænum, per oculos, tactus, cantilenas &c.) & *avaritiâ*. Quo vocabulo, si Hieronymo credimus, metaphoricè sumpto, denotantur ii, qui numquam saturi, absque limite & mensura se effundunt in omne genus delectationis carnalis. De his omnibus vitiis nihil inter Christianos audiendum est, neque de his differendum, etiamsi sermo ad declarandam vitii turpitudinem, & malitiam institueretur: Atque hoc annotatur in Catalogo, quibus de rebus nostri recreationis tempore colloqui possint. Ubi sic dicitur: (a) *De virtutibus, iis præsertim, quæ Religiosis particulares sunt: idque juxta gratiam & proprietatem nostræ vocationis. De vitiis contrariis, non tamen carnis.* Et si enim intentio bona sit: spiritus ta-

L 6

men

(a) *Instruct. 13. pro renovat: spiritus: cap. 9 num. 8. & 9.*

men inde infirmatur, imaginatio turbatur, materia tentationibus subministratur. Secundo loco prohibet Apostolus *turpitudinem*: hoc est, verbum quodlibet, quod possit rei inhonestæ ideam menti imprimere. Qualia ad jocum, & risum discursibus interferi solent: idque dissimulanter, & subtiliter, ita ut res turpis non quidem nominetur, sed tamen significetur, & proponatur. Porrò hæc verba malitiam continent tantò graviolem, quanto acrius movent phantasiam. Tertio loco ponit *stultiloquium & scurrilitatem*: designando verba, & narratiunculas, quæ non alio fine proferuntur, quam ad risum, & cachinnos. Ista enim sermonis levitas levitatem morum inducit, mores autem leviores accedunt ad inhonestos: sicut è contrario morum gravitas jocularis facetias frænat. His adjici potest examen sermonum de cibis, de condimentis, de vinis, de odoribus, de corporis ornatu, de musicâ, de conviviiis, de spectaculis, ceterisque ad
delicias

delicias sensuum pertinentibus: quando homo, etsi re ipsa iis non fruitur, illorum tamen cogitatione, & sermonibus delectatur.

OPERA CARNIS.

Opera hujus generis sunt, excessus omniscirca nutrimentum, sensuumque delectationes, præsertim obscænas. Rigidè nimirum continendus vitus, auditus, tactus, gustusque ciborum & potus, quantum ad quantitatem, qualitatem, & affectum: quibus homo non rarò sic abripitur, ut sui ipsius obliviscatur.

COGITATIONES A SPIRITU MALO.

Quartò loco accedunt suggestiones diabolicæ. Spiritus hic tristis est & amarus, humani generis hostis declaratus: de quo Christus, (a) *Ille homicida erat ab initio.* Cogitationes

L 7

ab

(a) *Joan. 8. 44.*

ab illo provenientes, halituque ejus
accensæ, sunt tristitia, amarities cor-
dis, tædium rerum spiritualium, invi-
dia bonorum alienorum: si quid ad-
versi nobis contingat, indignatio, ira,
odium, suspicio, judicium temerarium,
quo alterius intentionem interpretamur
malam, quæ forsitan bona est.

VERBA ADVERSUS PRO- XIMUM.

Verba his respondentia sunt, men-
dacia, machinationes clanculariæ, su-
furrations, disseminations discordia-
rum, verba cholericæ, licentiosa, in-
juriosa, contumeliosa in præsentem,
detractoria in absentes. Huc reducun-
tur signa indignationis internæ: qua-
lia sunt, obvertere tergum, reculare
loquelam, & similia.

OPERA VINDICTÆ.

Sunt ea, quæ vel fiunt, vel omit-
tuntur, ut alteri molestiam crees, aut
te

te vindices. Notandum in supradictis voluntate deliberatâ perpetratis, & in materia gravi, peccari mortaliter.

CIRCA EXERCITIA BONA.

Ultimo loco excutiendæ cogitationes promanantes à spiritu bono, quæ universim ad majorem perfectionem impellunt. Examinandum igitur, an inspirationibus bonis obsecuti sumus; an proposita bona executioni mandata; an subierit negligentia in pœnitentiis & corporis castigatione; an exercitia spiritualia debitè fiant; quanta accuratio-
ne serventur additiones & instructiones Patris spiritualis; quomodo serventur Regulæ & mandata Superiorum; quale sit exercitium virtutum, &c. Si hæc quinque capita, ad quæ reduci possunt peccata venialia, defectusque præcipui qui frequentius redeunt, memoriæ imprimantur; & per horas singulas excutiantur occupationes istius diei: haud erit difficile, defectus invenire, quos horâ qualibet incurrerimus.

CA-

C A P U T X.

*De fine Examinis, sive fructibus
qui inde referri debent.*

POSTEAQUAM capitibus præcedentibus actum est de modo & forma hujus Examinis, & de materia ejusdem, sive de culpis & defectibus super quibus instituendum est: sequitur ut de ejusdem fine agamus, sive de fructibus ex hac disquisitione referendis. Ut fructus hocce referamus, examen ipsum examinandum est, an scilicet eo ritu fiat, ut finem suum assequatur. Omnia exercitia spiritualia, omnesque generaliter actiones nostræ per examen perficiuntur, ut dictum est. Actiones illas discutimus, quando in examine super illas reflectimus, ut inspiciamus an juxta regulas & rectum ordinem factæ sint, finemque suum contingant. Quoniam igitur examen omnia perficit: convenit examen ipsum perfectum esse. Ut

Ut ergo perfectum sit, necesse est examen ipsum examinari. Ut autem ritè examinetur, necessarium est ejus finem cognoscere, quidve per hoc exercitium intendamus.

Finis hic reducitur ad duo capita. Primum caput, Conscientiæ purgatio: secundum, Confessio peccatorum. Hæc vero duo capita in idem recidunt. Confessio enim sacramentalis efficacissimis purgandæ conscientiæ remediis accensenda est. Hunc utrumque finem Examinis assignavit S. P. N. in ipso hujus exercitii titulo, qui sic habet. *Examen conscientia, & ad peccatorum Confessionem utilissimum.* Hæc conscientia purgatio consistit primò in obtinenda culpæ remissione, quam tum per Examen ipsum, tum etiam per Confessionem consequimur: deinde in absterfione reliquiarum quæ ex peccatis remissis etiamnum supersunt. Etsi enim reconcilietur Deo, qui rationis limites prætergressus est, & post concupiscentias suas abiit, quando seriò ad cor revertitur; remissisque culpis restituatur. tui.

tui gratiæ; intra se tamen remanere senti-
 tit hospitis malè admissi reliquias, af-
 fectus pravos, inclinationes etiam pe-
 jores, quas peccatum peperit, & con-
 suetudo nutrit. Hæ autem reliquie
 non tolluntur cum culpa: purgatione
 multiplici opus est, & luctamine forti
 atque perseverante, ut ab habitu vi-
 tiosa mundetur anima, orneturque vir-
 tutibus. Hæc verò mundities com-
 muniter per examen particulare acqui-
 ritur, ut suo loco dicetur.

Ut ad rem quam agimus redeamus,
 constat evidenter, Examen hoc gene-
 rale conferre plurimum *ad purgationem*
conscientiæ de peccatis præteritis, si per
 puncta assignata ritè instituat. Duo
 enim sunt necessaria ut à peccatis pur-
 gemur: unum est peccata cognoscere,
 alterum cum proposito emendationis
 eadem detestari. Hanc detestationem
 subsequitur Confessio, de qua postea.
 Ut autem peccata cognoscantur, juvat
 punctum secundum Examinis, quo pe-
 titur à Deo lumen & gratia ad hunc fi-
 nem. Juvat itidem tertium, quod
 inquit

in
 rec
 ju
 qu
 po
 pl
 co
 qu
 ex
 ru
 ne
 bu
 ex
 ex
 te
 ma
 las
 ge
 &
 m
 sci
 ut
 qu
 h
 in
 ris

inquirat in peccata, ut in memoriam redeant. Ut verò eadem averteamur, juvat quartum & quintum punctum, quo dolemus, & emendationem proponimus. Ad hoc utrumque juvat plurimum beneficiorum divinorum recordatio, & gratiarum actio de iisdem, quod agit punctum primum. Tota igitur examinis forma ad purgationem culparum dirigitur: atque ad hunc ipsum finem tendunt similitudines omnes, quibus SS. Patres naturam & necessitatem exercitii hujus describunt. Etenim si examen hortulano comparetur: hic ante omnia nosse debet, quænam herbæ malæ, quæ bonæ sint, ut deinde malas sedulo eradicet, hortumque suum germine bono floribusque colore gratis & odoriferis repleat. Si assimiletur medico: huic primum natura morbi scrutanda est, tum applicanda remedia ut tollatur. Si sit instat patris familias qui rationem ponit cum servis suis: huic primum summa debiti & crediti inquirenda est, tum ineunda ratio plaris vel minoris. Si iudicii simile sit:

iudici

judici causa prius cognoscenda est, quam
condemnetur reus, & respublica cive
malo privetur. Unica harum similitudi-
num differentia est, quod neque hor-
tulanus ut herbas malas detestetur, ne-
que medicus ut aversetur morbos,
neque pater familias ut corrigat ce-
conomi fraudes, neque judex ut ab-
horreat delictum, indigeant curâ aut
attentione, laboreque ac exercitio sin-
gulari: id verò requiratur in evellendis
peccatis. Cum enim peccata defectus-
que nostri à libera voluntate profiscan-
tur, & venenatæ quædam herbæ sint,
sed appetitui gratæ; morbi sed placen-
tes; damnosa res, sed lucrum quod-
dam prætexens: non sufficit, peccata
defectusque nudè cognoscere, sed his
cognitis curâ laboreque opus est,
ut illos detestemur & emendemus.

Ad fructus hos consequendos con-
fert plurimum solitudo & requies,
tempusque & locus ad hoc opus ido-
neus. Quemadmodum enim in fer-
vore conflictus non sentiuntur vulne-
ra, quæ deinde cessante pugna dolorem
&

&
fer
pe
sol
qu
rite
ret
tiu
die
ret
in
cup
sus
lef
me
tiu
sup
pr
est
qu
an
qu
(b)
do
ne
(a)

& sollicitudinem afferunt : ita etiam fervente passione quacumque, non perentiscimus culpas, postea vero in solitudine & quiete, malitia foeditaque illarum detegitur. Non immerito ponderat Chrysostomus, ut supra retulimus, (a) Davidem elegisse silentium & cubile suum, ut de iis que per diem dixisset, in corde suo compungeretur. *Quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* Occupationes enim, & curæ, & congressus aliorum, & res necessariae, & molestiae, & mille alia impedimenta momentis singulis occurrentia, non patiuntur malorum nostrorum sensum : supervenit sensus ille, quando nox appropinquat, quando negotiorum finis est, quando desinit fervor diurnus, quando paulum quievit ac dormitavit animi tumultus, quando tempus adest, quod desiderabat Job, cum diceret, (b) *Dimittite me, ut plangam paululum dolorem meum.* Ob eandem rationem, qua Chrysostomus cum Davide quietem

(a) *Tract. I. cap. I.* (b) *Job. 10. 20.*

quietem noctis requirebat ad exami-
 nandos effectus diei, Deus ipse teste
 Philone, (a) quietem sabbati instituit,
 ad discutiendos excessus hebdomadae. „
 „ Vates Hebræorum, inquit, septi-
 „ mum quemque diem, sabbatum sive
 „ quietem nominat: non ut quidam
 „ putant, quia post sex dierum spatium
 „ populus abstinebat à consuetis ope-
 „ ribus, sed quia septenarius numerus,
 „ tam in mundo quam in nobis con-
 „ fessione omnium habetur pacatissi-
 „ mus, & à seditione, bello, conten-
 „ tione alienissimus. Attestantur mi-
 „ hi, quæ nobis insunt potentia. Ha-
 „ rum enim sex indefinenter bella
 „ terrâ marique concitant: quinque
 „ sensus, & sermo qui profertur. Illi
 „ desiderio sensibilibus, quibus se non
 „ potiri agrè ferunt: hic per os effrene,
 „ multa silenda effutens. At septima
 „ potentia, nempe mens ceterarum
 „ dux, quando in potestate illas sex
 „ retinet, & perdomitis eis in secessum se
 „ recipit, amans solitudinis, & con-
 tenta

(a) *Libro de Abrahamo. initio.*

„ tenta secum ipsa colloqui: tum de-
 „ mum à curis ac negotiis mortalibus
 „ liberata, vitam serenam tranquillam-
 „ que complectitur. „ Ita ille. Hæc
 igitur potentia septima, sive conscien-
 tia, ut iudex, jurisdictione pollet legi-
 tima: neque veretur quæstionem in-
 stituere, & reprehendere, vel terren-
 do, si per malitiam vel contumaciam
 peccatum commissum sit; vel admo-
 nendo, si per inadvertentiam aut fragi-
 litatem patrata sit culpa; ne deinceps
 iterum redeat. Do. rgo conscien-
 tia, quodnam sit scujusque offi-
 cium erga se, & tione republi-
 ca nostra interior mandanda sit. Di-
 stinguere docet inter illa quæ per ma-
 litiam, & que per ignorantiam aut
 fragilitatem peccavimus: atque ad ju-
 dicii hujus institutionem quiete opus
 est, cum Deus præceperit, ut ad hunc
 finem populus procul esset ab omni
 opere. Quando enim orationi &
 compunctioni vacamus, mala plurima
 deprehendimus, inquit Richardus (a)
 quæ

(a) *Lib. 2. de eruditione interior hominis.*

exami-
 teste
 stituit,
 adæ. „
 septi-
 m sive
 idam
 atium
 ope-
 nerus,
 con-
 atissi-
 nten-
 r mi-
 Ha-
 bella
 nque
 Illi
 e non
 rene,
 otima
 arum
 sex
 m se
 con-
 tenta

quæ ex animi impetu temerè inconsideratèque admisimus: multaque sibi dictat homo contra conscientiam, ex quodam fervore spiritus, quæ deinde orationis tempore reformat & moderatur, perque lucem divinitus illabentem ad consilia convertitur saniora. Debemus igitur ea, quæ minus prudenter & præcipitanter admisimus, deinde diligenter excutere, attentèque perpendere, an justa vel injusta, utilia, vel noxia sint. Hoc Richardi consilium apprimè necessarium est. Verissimum enim est, insensibilitatem & excæcationem, ordinarios peccati comites esse: eos qui de his magis participant, de seipsis meliora sentire, & induere frontem meretriciam, & corde adeò obdurari, ut neque timore Domini, neque verecundiâ humanâ tangantur. Quicumque talis est, hic indiget enimverò viarum suarum examine longiore & accurato, ut in se reflectat animum & super se, atque verecundetur sui: & posteaquam se inspexerit, compunctionem suscitare conetur, qua

qua frangat duritiam cordis, & timori Dei locum det. Hæc igitur compunctio fructus alter est, qui ab examine provenit, ad purgationem conscientia.

De hoc puncto fusius actum superius, ubi quietis & separationis necessitatem adstruximus, ut intra nos pretiosissimum compunctionis thesaurum effodiamus. Hic locus postulat, ut evincamus hoc examen conferre plurimum, ut thesaurus iste obtineatur ejusque obtentionem magnoperè facere ad conscientia purgationem. Primò igitur, estne aliquid quod ita natum sit, non dico ad verecundiam, sed ad horrorem nostri nos excitare, quam in examine veluti in speculo contemplari faciem nostram peccatis conspurcatam? (a) *Arguam te, & statuam te ante faciem tuam*, inquit Deus peccatori. Quoniam tui ipsius oblitus es, & obvertisti dorsum mihi, efficiam ut ipse videas gravitatem & multitudinem peccatorum tuorum.

M

Quanto

(a) *Psf. 49. 21.*

Quanto autem rigore majori id futurum
 est in iudicio divino, ubi præter sen-
 tentiam severissimam peccatori nihil
 sperandum est: tanto fit majori miseri-
 cordia in iudicio quotidiano, undere-
 sultat absolutio & purgatio conscientia.
 Verè enim hic à Deo arguitur anima,
 quæ per accusationem conscientia pro-
 pria divinitus tacta compungitur; sta-
 tuiturque ante faciem suam, quando
 sceditatem suam considerans in se refle-
 ctit, seque ipsam arguit & castigat. Et
 quò clarior est hæc notitia, eò etiam
 gravior est reprehensio sui ipsius.
 „ Quanto enim quisque se minus videt,
 „ inquit Gregorius, (a) tanto sibi
 „ minus displicet: & quanto majoris
 „ gratia lumen percipit, tanto amplius
 „ reprehensibilem se esse cognoscit.
 „ Cum enim intrinsecus sublevatur per
 „ omne quod est, ad eam quam super
 „ se conspicit regulam congruere nititur,
 „ Et quia adhuc humana infirmitas præ-
 „ pedit, cernit quia ei ex non minima
 „ parte dissentit, totumque ex se illi
 „ onerosum

(a) 35. Moral. 2. alias 5.

„ onerosum est, quod internæ regulæ
 „ conveniens non est. „ Ex hac
 inspectione, & displicentia sui nasci-
 tur sancta compunctio : amaras red-
 dens delicias mundi omnes, quæ an-
 tea dulces videbantur, & dulcia, quæ
 apparebant amara. Neque enim vel ho-
 nores, vel divitiæ, vel voluptates car-
 nis, jam quidquam saporis habent, po-
 steaquam sensit, (sensit autem quæ
 revera compungitur,) ex earum frui-
 tione tantum dolorem, tantamque
 amaritiam gigni. Sed neque mala
 omnia contraria, paupertas, infamia,
 morbi, & quæcumque corporis asperi-
 tas, quidquam habent durtiei, quando
 compunctio aperuit oculos cordis.
 Quod si illa gradum aliquem excellen-
 tem contingat, tunc anima non aliud
 solatium invenit, quam malis omnibus
 subjici, tum in medicinam & satisfac-
 tionem peccatorum suorum, tum in
 augmentum virtutum & meritorum.
 Hæc omnia lucis divinæ effecta sunt,
 quando Deus vitæ nostræ errores cla-
 rius exhibet, & nos statuit ante faciem
 M 2 nostram.

aturum
 er sen-
 i nihil
 miseri-
 ndere-
 ientia.
 anima,
 æ pro-
 r; sta-
 quando
 e refle-
 gat. Et
 etiam
 ipsius.
 videt,
 o sibi
 majoris
 mplius
 noscit.
 tur per
 super
 titur,
 as præ-
 inima
 se illi
 osum

nostram. Non relinquit locum amori proprio, ut declinet in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis: ritè solvuntur debita propositorum bonorum circa vitæ emendationem, quæ tandem aliquando opitulante divinâ gratiâ executioni mandantur. Viribus enim suis mundana bona jam destituta sunt, ne decipiant: viribus etiam suis carent terrena mala, ne terreant. Hi autem scopuli duo sunt, in quos ordinariè impingunt bona proposita, & ita naufragantur, ut declinemus à viâ rectâ.

Ex hic omnibus, si rectè inspiciantur, concluditur, quod purgatio animæ resultet ex emendatione culparum præteritarum, quibus maculabatur; quod hæc emendatio proveniat à proposito firmo & efficace; propositum à compunctione & dolore; compunctio à cognitione errorum præteritorum. Liquet igitur notitiam peccatorum, compunctionem de illis, & propositum emendationis, (quæ sunt examinis partes præcipuæ,) mirabiliter facere ad
 purga-

purgationem conscientia, qui unus est
 ex finibus quos hic intendimus. Ut
 finem hunc consequamur, examen u-
 num non sufficit, sed repetendum est
 sæpius. Non sufficiebat Naamano se-
 mel tingi Jordane, ut mundaretur à
 lepra: lavandus fuit septies, ut inde
 purus exiret. *Per singulas noctes* lava-
 bat David lectum suum, & lacrymis
 suis stratum suum rigabat, neque ta-
 men arbitrabatur se mundum esse, sed
 ingeminabat, *Amplius lava me ab ini-
 quitate mea, & à peccato meo munda me.*
 De altero fine examinis, quem in Con-
 fessione sacramentali consequimur, age-
 tur postea.

amori
 alitia,
 catis:
 m bo-
 , quæ
 divina
 iribus
 stituta
 n suis
 t. Hi
 sordi-
 & ita
 à viâ
 ician-
 o ani-
 arum
 atur ;
 i pro-
 tum à
 inctio
 orum.
 um ,
 situm
 s par-
 e ad
 urga-

C A P U T XI.

Reliqua Exercitia omnia juvari, & vires suas accipere ab Examine.

PRæter alia Examinis emolumenta hæc utilitas, quam Capitis hujus titulus præfert, considerationem singularem meretur. Verissimum enim est, ceterorum Exercitiorum spiritualium & vires & efficaciam ad animæ nostræ progressum, quoadantenus ab Examine provenire, quatenus Examen illis omnibus se communicat. In quo mira magni spiritus Magistri Ignatii dexteritas elucescit. Sicut enim in Pharmaco-peiâ medicamentorum genera varia sunt, quædam dulcia, quædam amara, quædam minus magisve efficacia, quæ secundum morbi gravitatem, viresque & dispositionem infirmi, convenienti pondere & mensura ab artifice commiscuntur; ita etiam in Meditationum &

&

& Exercitiorum spiritualium officinâ ,
 quædam remedia suaviora sunt , quæ-
 dam mordaciora , quædam efficaciam vel
 minoris vel majoris , quarum juxta præ-
 sentem exercitantis necessitatem attem-
 peratio , prudentiam Directoris requi-
 rit. Apparet autem S. Patrem no-
 strum in Meditationibus ferè singulis
 aliquid Examinis adhibuisse , alias plus ,
 alias minus. Unde medicinam hanc
 veluti totius officinæ suæ spiritualis effi-
 cacissimam habuisse videtur , quæ ani-
 met , viresque & virtutem afferat exer-
 citiis ceteris universis.

Probatione veritatis hujus haud
 aliâ opus est , quam inductione exer-
 citiorum plurimorum , & ferè omnium:
 dummodò supponamus per examen in-
 telligi reflectionem quamlibet supra
 seipsum , aut supra actiones suas , aut
 supra profectum suum in spiritu , ut
 vitiosa corrigantur , obliqua compla-
 nentur , & recta perficiantur. In pri-
 mis igitur in fundamento exercitiorum
 sic ait: *Debemus absque differentiâ nos
 habere circa res creatas omnes , prout li-*

bertati arbitrii nostri subjecta sunt, & non prohibita: ita ut, quod in nobis est: non queramus sanitatem magis quam aegritudinem, neque divitias paupertati, honorem contemptui, vitam longam brevi preferamus. Sed consentaneum est, ex omnibus ea demum, qua ad finem ducunt, eligere ac desiderare. Quanam ratione fieri poterit, quod hic praescribitur, absque ope Examinis? Non dico, ut deliberetur, utrum hoc vel illud magis minusve ducat ad finem nostrum, id enim attinet ad materiam electionis: sed utrum ista indifferentia in nobis sit, quam tamquam fructum proprium & singularem hoc Fundamentum intendit. Necessse igitur est, ut hoc loco discutiamus propensiones nostras, atque indagemus an creatura aliqua perperam affectum nostrum abripiat: veluti si quis apud libripendem examinet an in hanc vel illam partem bilancis scapus inclinet.

Veniamus ad hebdomadem primam: quæ sicut ad contritionem, ad dolorem, ad lacrymas tota dirigitur;

gitur; ita continet exercitia, quæ non aliud sunt quam examen. Tres enim illi fructus examinis, quos capite præterito dicebamus, memoria sive notitia peccatorum; compunctio sive dolor, & propositum emendationis, ita illarum Meditationum primarum visceribus intimè imbibuntur, earumque veluti substantia sunt. Id videre est in tribus punctis Exercitii primi, meditandi secundum tres animæ potentias, & In Colloquio ejusdem. Ut quid enim memoriæ objicitur peccatum Angelorum, peccatum primorum Parentum, & peccatum particulare eorum, qui unico mortali commisso condemnati fuere; nisi ut, *Erubescam & confundar totus, factâ unius tantum peccati Angelorum cum tot meis comparatione: unde colligere liceat, cum illi ob unicum crimen addicti sint inferno, quam sæpe ipse supplicium idem meruerim.* Et iterum de iis qui dumtaxat semel peccaverunt, *Considerando quod peccato tali vel semel dumtaxat commisso, fortè detrusi sint multi ad infernum: quodque præterea*

*innumeri, ob delicta meis pauciora atque
 leviora fortè cruciantur aeternis pœnis.*
 Quomodo hæc peccatorum alienorum
 & propriorum comparatio institui po-
 test nisi propria quadantenas examinen-
 tur? Quomodo erubescere quis potest
 & confundi, nisi dolorem concipiat de
 peccatis commissis? Quomodo, aut ad
 quid, hos excitabit affectus voluntatis,
 nisi ut proponat emendationem, pœ-
 nitentiam, vitæque immutationem?
 Quid verò hæc sunt nisi puncta, quæ in
 Examine quotidiano, ad unicum diem
 arctantur, istic autem ad omnes actus
 malos vitæ præteritæ extenduntur? Rur-
 sum in Colloquio, quid sibi vult istud,
Arguam insuper meipsum, percunctans
quid hætenus dignum memoratu egerim
pro Christo? quid agam tandem, aut a-
gere debeam? nisi ut meipsum inspiciam,
 atque examinem? Quid porro in
 meipso examinandum est? Quid hæ-
 tenus egerim pro Christo; & inve-
 niam offensas plurimas. Quid agere
 debeam: & inveniam, immutandam
 esse vitam, cum proposito firmo emen-
 dationis.

dationis. Hæc ipsissima forma exami-
 nis clarissimis verbis exprimitur in
 Exercitio secundo, sive Meditatione
 de peccatis. In primo enim puncto
 fit *Processus quidam*, per quem peccata
 totius vitæ in memoriam revocantur, per-
 cursis gradatim discussisque annis, &
 spatiis temporum singulis. Hoc igitur
 punctum respondet tertio puncto
 examinis: cum sola hac differentia,
 quod in examine ratio exigatur de ho-
 ra in horam; hic vero, ubi vita omnis
 examinatur, de anno in annum, & de
 spatio in spatium. A secundo pun-
 cto usque ad quintum, afferuntur ea
 quæ movere possunt ad horrorem pec-
 cati: nimirum, sceditas peccatorum,
 vilitas personæ peccantis, Majestas
 personæ offensæ, justa indignatio crea-
 turarum omnium, à quibus vindicta
 timeri possit. Hæc omnia non aliud
 sunt, quam motiva compunctionis &
 doloris, pertinentque ad examinis pun-
 ctum quartum. Post hæc in Colloquio
 expresse dicitur, *Propositâ in futurum
 mei emendatione*. En examinis punctum
 quintum.

atque
 ænis.
 orum
 i po-
 inen-
 potest
 iat de
 ut ad
 itatis,
 pœ-
 em?
 uæ in
 diem
 actus
 Rur-
 istud,
 ctans
 erim
 aut a-
 ciam,
 o in
 ha-
 inve-
 gere
 idam
 nen-
 onis.

In hebdomadis ceteris, secundâ, tertiâ, & quartâ, etsi non adeo aperte exprimatur forma examinis: certum tamen est, mentem S. P. nostri esse, ut Meditationes istas omnes & singulas examen concomitetur. Quemadmodum enim per cingulum quo lumbos stringimus, vestimentum omne aptatur, & sine quo vestis cetera incomposita esset, ineptèque diffunderet: ita meditatio, quæ per seipsam latius diffunditur quam vestis, examine velut cingulo stringitur, & ad animam nostram applicatur, ut nobis idonea sit, morumque afferat reformationem. Atque hoc illud est, quod S. P. toties repetit, post considerationem personarum, verborum, & operum, quæ præscribitur in omni materia historica, reflectendum esse ad nosiplos, ut fructum aliquem referamus. Observationem singularem meretur, quod S. P. N. etsi tantam illo libello suo brevitate profiteatur, tot vicibus tamen, & iisdem verbis inculcet reflectionem ad nosiplos. Hæc enim verba. *Ad nos*

*nos reflectendo, ut ex consideratione tali fructum aliquem referamus: repetuntur in tribus punctis Meditationis de Incarnatione. Et iterum in tribus punctis Contemplationis de Nativitate. Et rursus in tribus primis punctis Contemplationis de gestis post cœnam. Et denique ad hæc ipsa tria puncta, exercitantem remittit in tribus primis punctis Contemplationis de Resurrectione. Quid sibi volunt assidue istæ reflectiones supra meipsum, nisi ut examinem in quo gradu reperiantur in me virtutes illæ, quas in historia proposita deprehendi; quæ sint culpæ & imperfectiones meæ ab exemplo isto dissidentes; quibus modis exemplari isti similis fieri possim. Facit etiam hæc reflectio, ut videam quid agere quidve pati debeam, ut me Domino meo conformem reddam, qui tot ac tanta pro me egit & passus est. Huc spectabat David, cum diceret: (a) *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Huc itidem spectat*

M 7

S. P.

(a) *Psal. 115: 3.*

S. P. N. in Colloquio Meditationis de tribus animæ potentiis, cum ait: *Meipsum percunctans, quid hætenus dignum memoratu egerim pro Christo, quid agam tandem, aut agere debeam.* Et in sexto puncto Meditationis primæ, hebdomadæ tertiæ, *Cogitare, cum talia ferat pro peccatis meis, quid agere debeam aut pati ejus causâ.* Et clarius in puncto primo Contemplationis ad amorem spiritualem: *Quibus optime inspectis, vertar ad meipsum, & disquiram mecum, quæ meæ sint partes, & quid æquum justumque sit, ut divina offeram & exhibeam Majestati.* Quid hoc est, *Vertar ad meipsum & disquiram mecum,* nisi examen meiipsum, quo inspiciam, quid egerim, quid porro agere possim & debeam in obsequium Domini mei. Consideratio & Meditatio quæ per se foret sterilis & infœcunda, fit frugifera & efficax, quando applicatur vitæ nostræ reformationi, fervorique bonorum operum per examen.

Quæ hucusque dicta sunt, spectant genera-

generaliter exercitia orationum & Me-
 ditationum. Quod si per examen non
 aliud intelligamus, quam inquisitionem
 in animi nostri motus, affectus, incli-
 nationes, dictamina, deliberationes,
 ut dispiciamus an rectæ rationi spiritui-
 que bono conformes sint an diffformes:
 dubitari non potest, quin etiam exercitia
 electionis, & Regulæ discretionis,
 (quæ duæ res Libelli Exercitiorum pri-
 matum tenent) in examine suum habeant
 fundamentum. Etenim quem scopum
 habet Meditatio de duobus vexillis, nisi
 hunc qui declaratur in tertio præludio,
*Exploratas habere fraudes mali ducis:
 veri autem optimique Imperatoris Christi
 agnoscere mores ingenuos.* Utque ducis
 utriusque mores intra nos exploremus,
 Regula nobis indexque datur concio,
 & Luciferi, & Christi ad suos: quæ
 puncto tertio utriusque partis proponi-
 tur. Exercitium verò de tribus homi-
 num classibus quonam tendit? nisi ut
 in seipso quisque examinet, an averfio-
 nem sentiat à paupertate rerum, vel ad
 hanc paupertatem & divitias indifferens
 sit,

sit, atque an vel ad has, vel ad illam ex
 alio motivo feratur, quam desiderio
 divinæ gloriæ: ut ibidem dicitur pun-
 cto tertio, & Notando post illam Me-
 ditationem. Porro absque multo exa-
 mine electionem non posse institui, no-
 men ipsum declarat. Quid enim rei est
 electio, nisi libratio rerum duarum, ut
 dispiciam utra sit majoris obsequii divi-
 ni, majorisque emolumenti animæ meæ
 non inclinando in hanc vel illam par-
 tem ex affectu aliquo non bono? Quot
 verò modis in hoc negotio recurrendum
 est ad examen? Nam I. Examinandum
 est, an sim indifferens & sine affectu
 inordinato, & in æquilibrio quodam
 consistam, ut alterutram partem vel re-
 jiciam vel admittam: ut dicitur puncto
 secundo modi prioris Electionis. II.
 Examinandæ rationes quæ utrim-
 que occurrunt, inquirendumque in
 rationis cujuslibet pondus: ut ibi-
 dem dicitur, puncto quarto. III.
 His præmissis examinandum in quam
 partem magis inclinet ratio, ut secun-
 duna

dum rationis motum, non verò secundum carnis appetitum electio peragatur: ut ibidem dicitur puncto quinto. IV. Ad examinandam electionis sinceritatem quatuor Regulæ assignantur in secundo modo Electionis: & ad hoc ipsum conducunt Regulæ omnes de Spiritibus dignoscendis, quas Discretionis vocamus, & hunc titulum præterunt: *Ad motus anima, quos diversi excitant spiritus, discernendos, ut boni solum admittantur, & pellantur mali.* Hæc ergo omnia haud possunt aliter fieri, quam examinando & attentius considerando seipsum, motusque suos internos, secundum signa live spiritus boni, sive mali. Denique Annotatione primâ inter 20, hæc vocantur Exercitia spiritualia: *preparare & disponere animam, ad tollendas affectiones omnes malè ordinatas; & iis sublatis, ad quærendam & inveniendam voluntatem Dei, circa vitæ suæ institutionem & salutem anima.* Si ista sunt Exercitia spiritualia: non possunt igitur fieri absque examine. Quisquis enim quærit & invenit,

nit,

nit, attendat necesse est an id quod invenit, illud ipsum sit quod quæsit: an vero affectio aliqua malè ordinata illum fefellerit, aliudque pro alio amplectatur. Verum hæc omnia delicatiora sunt & difficilia, postulantque Tractatum ampliolem: quæ tamen breviter hic attinguntur, ut examinis efficacia demonstraretur, quantumque animæ nostræ profectus crescit, tanto accuratius instituatur examen, & anatomia fiat minutior actionum motuumque interiorum.

Ut Caput hoc concludamus: non solummodo pauci illi qui in electionum materia exercentur, raros enim hos esse vult S. P. N. vel certè eos qui de vitæ statu deliberare velint, (a) idque ob materiæ subtilitatem; neque solum multi illi qui utiliter primæ hebdomadæ exercitia obire possunt, teste eodem: (b) sed generatim omnes, quicumque salutem suam desiderant, una cum ceteris exercitiis pietatis, examine

(a) 4. Par. cap. 8. litt. E.

(b) 7. Part. cap. 4. litt. F.

mine aliquo opus habent. Hujus rei formam habemus in primo modo orandi, quam S. P. N. in libello suo proponit, & à rudioribus ipsis, atque ad alia exercitia ineptioribus, adhibendam statuit. De hac enim oratione sic loquitur in Constitutionibus, (a) *Modò orandi, (præsertim primus trium illorum, qui in Exercitiis proponuntur,) ad multo etiam plures extendi possent: quivis enim bonâ præditus voluntate ad hæc idoneus est.* Hic verò orandi modus nihil aliud est, quam examen facile, & accommodatum captui vulgi: id quod ostendo. Oratio illius præparatoria, *Gratiæ continet postulationem, ut mihi detur agnoscere quidquid deliquero adversus Decalogi præcepta, meque in posterum emendare.* En secundum punctum examinis. Sequitur ipse modus orandi: *Mandatum quodlibet ordine discutiam, attendens, quo pacto servaverim illud aut violaverim.* En tertium punctum examinis. Tum subdit; *Deque occurrentibus in memoriam delictis veniam*

(a) *Ibid.*

niam precabor. En quartum punctum
examinis. Denique pro conclusione
orationis ait: *Completo de preceptis sin-*
gulis discursu, post mei accusationem &
gratia implorationem, ut eam vigilantius
custodiam, colloquium dirigam ad Deum.
En quintum punctum examinis. Ma-
nifestè igitur evinci potest S. Patrem
in hac doctrina attendisse ad quinque
puncta examinis, eaque in hoc orandi
modo sic adaptasse, ut omni homi-
num generi prodesse possent. Fixum
ergo sit examen conferre plurimum ad
purgationem conscientiae: atque illa
exercitia omnia ab examine habere,
quod reddant animam meliorem.

CAPUT XII.

*Statum & profectum nostrum spirituales
quandoque examinandum esse.*

PRæter examen quod quotidie instituitur de culpis occurrentibus illo die, perfectionis studioso convenit plurimum, statis temporibus in seipsum reverti, & reflectere an in spiritu progrediatur, vel retrocedat; an in talenti sui negotiatione lucrum vel damnum referat; an in schola spiritus rectè operam impendat, nec ne. Hæc disquisitio facit in primis, ut cujusque animus excitetur, & fervor extimuletur. Quis enim usque adeo ignavus & vecors sit, qui viam longiorem ingrediens, non reflectat identidem, quantum viæ egerit, quantum agendum superfit, ne obruatur à nocte? Juxta illud: (a) *Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant:*

&

(a) Ioan. 12. 35.

& , *Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.* Quis mercator adeo incurius, qui non inquirat minutim, an lucrum ex mercibus suis referat an damnum? Præsertim si Domino majori seruiat, atque hic imperet, (a) *Negotiamini dum venio: & usuram æquam referentibus lucrum duplicet, negligentibus verò hoc ipsum subtrahat, quod benevolè erogaverat.* Quis disciplinæ alicujus studiosus tam segnis, qui non prævideat subeundum sibi esse studiorum suorum examen, quo testetur profectum in litteris, ne audiat illud Apostoli: (b) *Cum deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis ut doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei: & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo.* Liquet igitur per reflectionem & examen profectus nostri, de socordia nos commoneri, verecundari de acedia, extimulari ad fervorem.

Juvat etiam hoc examen ut Confessario aut Directori reddatur ratio conscientie

(a) *Luc. 19. 13.* (b) *Hebra. 5. 11.*

co
tu
ex
str
spi
de
vo
ne
ter
tua
no
sua
tur
sea
ne
vo
sic
tes
ni
D
pa
ta
di
ex
fe

conscientiæ. Etenim ut hæc ratio de-
 tur alteri, necesse est illam primitus
 exigere à seipso: atque is, qui ad in-
 structionem suam & directionem in
 spiritu illam daturus est, gnarus esse
 debet status proprii & profectus. Hoc
 voluit S. P. N. cum dixit (a) *Admo-
 neantur, quod nullam debeant celare
 tentationem, quam huic, (Patri spiri-
 tuali,) vel Confessario, vel Superiori
 non aperiant: imò verò totam animam
 suam illis integrè manifestam esse pergra-
 tum habeant: nec solum defectus aperiant,
 sed etiam pœnitentias, vel mortificatio-
 nes, & devotiones, ac virtutes omnes:
 voluntate purâ optantes ab illis dirigi,
 sicubi à rectitudine deflecterent, nolen-
 tes suo proprio sensu duci, nisi conve-
 niat cum iudicio illorum, quos Christi
 Domini nostri loco habent. Ex his verbis
 patet, inter Confessionem Sacramen-
 talem, & conscientiæ rationem, esse
 differentiam variam: & similiter inter
 examen quotidianum, quod ad Con-
 fessionem illam dirigitur; atque exa-
 men*

(a) 3. Part. c. 1. §. 12.

men quod ad hanc redditionem conscientia ducit, de quo hoc Capite agimus. Differunt enim hæc duo examina, & materia, & fine, & modo. Materia Confessionis sunt culpa & peccata: & consequenter sunt materia istius examinis: sed materia rationis conscientia sunt etiam tentationes, poenitentia, mortificationes, devotiones, ac virtutes omnes, quæ ad Confessionem non attinent; faciunt tamen plurimum ad intelligentiam status & protectus nostri, ac propterea discussioni huic subjiciendæ sunt. Finis Confessionis est absolutio, ac propterea modus Confessionis est accusatio Sacramentalis: finis autem rationis conscientia est instructio, directio, auxilium, quæ propterea fit convenientius extra Sacramentum; examen vero ipsum quod rationem illam præcedit, cujusmodi sit mox dicetur. Differentiam Confessionis & rationis conscientia quoad finem & modum, in quâdam instructione tetigit P. Claudius,

his

his

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

»

his verbis. (a) „ Efficiant Superio-
 „ res, ut subditi intelligant, aliud ef-
 „ se reddere rationem conscientia; ;
 „ aliud quid generaliter confiteri: quia
 „ & regula diversa est utriusque, &
 „ diversus finis, & modus diversus.
 „ Nam Confessionis finis, propone-
 „ re sibi ante oculos totius illius tempo-
 „ ris culpas, illasque denuo majore
 „ alacritate expiare, & quasi novas in-
 „ duere vires: in aperienda autem
 „ conscientia finis est, statum animæ
 „ suæ, nimirum defectus, passiones,
 „ propensiones, tentationes, virtutes
 „ ipsas, & quæcumque ad perfectam
 „ sui cognitionem facere possunt,
 „ ei aperire, cui se ad majorem Deï
 „ gloriam dirigendos tradiderunt.
 „ Modus etiam diversus est: nam in
 „ Confessione peccata & circum-
 „ stantiæ aperiendæ sunt; in alterâ
 „ verò ea dicere satis erit, quæ in-
 „ tegrè profectum, seu defectum ani-
 „ mæ,

N

„ mæ,

(a) *Instruct. 13. de Renovat. Spir.*
cap. 2. n. 2.

„ mæ , & statum interioris hominis manifestant. „ Hactenus Claudius. Unde liquidè apparet , quam arcto vinculo inter se colligentur , bona ratio conscientia , & examen accuratum status profectusque sui interioris. Sicut enim infirmus sollicitè reflectit animum ad singula quæ sibi accidunt , notatque minutatim quæ symptomata senserit , quo tempore , quâ occasione , quis fuerit medicinarum eventus , quæ profuerit , & quæ non , quoniam ex plenâ instructione medici sanitas ejus pendet : similiter cum proportione in morbo spiritali observanda omnia examinandaque sunt , ut aperiantur medico animæ , si quis hujus sanitatem desiderat.

Quod si vero hoc examen profectus proprii adeo proficuum sit : ut in spiritalibus ab altero dirigaris : non minorem profecto parit utilitatem , ut in spiritu alteros dirigas. Experientia enim magistra optima est , ut idonea aliis consulas , infirmisque auxiliaris , qui luctaminibus iisdem subduntur , quæ
in

in t
cor
ma
alic
vel
ter
tiam
nis
lan
bu
bu
tre
re
tel
sp
de
su
ni
ce
L
cu
m
li
c
li
f

in te ipse expertus es, atque ex arcano
 cordis tui illas ipsas medicinas depro-
 mas, quibus convaluisti. Itaque ut
 alicui internè laboranti, vel consilium,
 vel solatium afferas: maximopere con-
 fert non solum generaliter, verum e-
 tiam singillatim affectum fuisse affectio-
 nis causas occultas, quæ illius animum
 lancinant. Hi enim qui tentationi-
 bus secretis, aliisve molestiis interiori-
 bus cruciantur, & remedii causâ Pa-
 trem spiritualement accedunt, mirificè
 recreantur cum vident protinus se in-
 telligi, fiduciam sumunt in medico,
 spemque sanitatis concipiunt: à me-
 dente autem ipso promptius medicina
 suggeritur. Quis enim penetralia alie-
 ni cordis rimabitur, qui in cognitione
 cordis proprii peregrinus est?
 Librum aliquis penes se habeat, sed
 cuius sensum non assequatur, neque
 mihi exponere possit quid contineat
 liber: huic ego aperire potero, quæ-
 cumque liber ille complectitur, si mihi
 liber sit tenoris ejusdem & typi, quem
 studiòse versaverim. Illud ipsum hu-

mini
 idius.
 arcto
 a ra-
 arum
 Si-
 tani-
 , no-
 sen-
 one,
 quæ
 n ex
 ejus
 e in
 nnia
 ntur
 item

ctus
 iri-
 ino-
 spi-
 nim
 aliis
 qui
 quæ
 in

manis cordibus accidit: corda enim libris ejusdem impressionis assimilantur, & generatim quæ unius, ferè etiam cordis alterius paginis subiunguntur. Juvat ergo summopere nancisci hominem, qui hujus libri sui peritiam apprimè assecutus sit, quique examinaverit ingressum, exitum, progressum, incrementa, decremента, principia, media, fines, & virtutum & vitiorum, & tentationum, & consolationum, & desolationum, & pacis & belli spiritualis, ut ex illo libro suo alios instruere valeat. Etenim hoc est speculum, ex quo discit ea quæ in aliorum cordibus peraguntur. Idque monuit Spiritus Sanctus, cum dixit: (a) *Intellige quæ sunt proximi tui ex teipso.* Sin verò, id quod fieri videmus, ex sola Autorum doctiorum volutatione Directorem agas, atque hinc tantummodò iis consulas qui præliantur prælia spiritus, fies velut æs sonans aut cymbalum tinniens, vel sicut cæcus disputans

(a) *Eccli. 31. 18.*

tan
run
turi
qua
da
ext
vi
&
fer
op
scr
ter
vo
hi
qu
fo
gu
ta
fo
fa
li
E
a
t
a
i

tans de coloribus. Nisi enim Auto-
rum lectio, ab experientia propria ma-
turitatem hauriat, præter verba mortua,
quæ luce carent & efficaciam: neque cor-
da audientium penetrant, nihil inde
extrahitur. Non propterea tamen par-
vi facienda est lectio Scripturæ sacræ,
& librorum quos viri Sancti conscrip-
serunt. Hos enim libros & suspicere
oportet, & illorum sensum diligenter
scrutari: verum harum scriptionum in-
terpres optimus est experientia, quæ
volumina ista dictavit. Quandò igitur
hisce libris consonat sensus tuus, id-
que libri loquuntur quod sentis in teip-
so, ex lectionis hujus sensusque tui con-
gruentia, lux oritur viva & efficax, na-
ta alios illustrare. Si autem lectioni
soli innitatur tua directio, id eveniet quod
sæpius comperimus, seligi quidem ex
libris illis aliqua medullæ spiritualis di-
ctamina, sed quæ neque intelliguntur ab
audientibus, & ab illis ipsis vix capiun-
tur qui docent. Indubitatum certè est,
absque experientiæ adminiculo, neque
illa posse applicari appositè, neque ido-

neè explicari. Quid porrò dicam de remediis attemperandis uniuscujusque necessitati particulari? Hic profecto partem primam sibi vindicat experientia propria. *Qui non est tentatus, inquit Sapiens, (a) quid scit? Vir in multis expertus, cogitabit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum. Qui non est expertus, pauca recognoscit.* Post hæc iterum reperit, *Qui tentatus non est, qualia scit?* Consequenter ad hæc ait Apostolus: *(b) Sive tribulamur pro vestra exhortatione & salute; sive consolamur pro vestra consolatione; sive exhortamur pro vestra exhortatione & salute.* Hæc nimirum experiebatur in se ipse, ut disceret compati tribulatis, consolari mœstos, exhortari alios. Hinc colligitur, Deum læpius Magistris spiritus & conscientiarum Directoribus, consolationes internas submittere, non illorum causâ, sed subditorum: & illdem tentationes quasdam permittere, ut
 illarum

(a) *Eccli. 34. 9.*

(b) *2. Cor. 1. 6.*

illat
 atq
 Sed
 hui
 dur
 ad
 tur
 lan
 exp
 in
 fir
 str
 los
 re
 ve
 nic
 ses
 co
 tia
 no
 ac
 na
 fr

illarum vim & naturam intra se sentiant, atque inde discant tentatis succurrere. Sed hunc fructum non referent, qui huic experientiae propriae non superaddunt examinem, neque sedulo attendunt ad ea, quae intra animam suam aguntur. Nisi enim supra experientiam illam suam reflectant, etsi annis multis experiantur plurima, ne hilum quidem in scientia hac proficient; sed illorum similes erunt, qui bibliothecam rarâ instructi sunt, sed libros detinent clausos: & ut annos in religione à juventute ad senectam traducant, & canitie venerandi sint, ineptissimè dirigent juniore, ut egregiè docet Abbas Moyses apud Cassianum. (a)

Sed enim, observationem minimè contemnendam meretur, ad experientiae hujus consecutionem examen hoc non sufficere, nisi ad discussionem hanc accedat sui ipsius emendatio. Examinantur enim affectiones animi malae ut frangantur, tentationes ut vincantur,

N 4

vicia

(a) Collat. 2. c. 13.

vitia ut corrigantur, virtutes ut perficiantur, exercitia spiritualia ut indies accuratius instituuntur. Idem fiat, cui bono examen status & profectus sui, si non proficiat is qui examinat? Status enim non proficientium, status acediae est, qui non solet, (ut illis accidit qui molam versant,) in eodem loco consistere, sed certissime intra tempus haud longum in deterius labitur. Locum proprium hic obtinet examen particulare, exercitium efficacissimum ut vitia extirpentur, passiones frenentur, consuetudines pravæ evellantur, virtutes augeantur, exercitia spiritualia expoliantur. Huic, inquam, examini, quod particulare dicitur, ad victorias spirituales adeò efficaci, hoc examen profectus nostri, de quo sermo est, materiam idoneam subministrat. Quoniam enim necesse est particularis examinis materiam esse determinatam & particularem, (ut & nomen ejus affert, & suo loco docebitur,) momenti sanè maximi est materiae ejus electio, ne vel laboremus in vanum, vel certè fru-

fru-

fructum referamus infra votum. Huc ergo plurimum confert hoc examen status & profectus nostri. Proponit enim atque oculis objicit passiones, vitia, consuetudines, inclinationes perversas, virtutes, exercitia spiritua- lia, statum denique quem unumquod- que horum in nobis tenet: ut illi parti remedium applicemus, à quâ gravius oritur damnum; atque ibi inimico fortius resistamus, ubi ille infestior est. Hac ratione destruimus dæmonis machinas, quando eâdem industriâ nos defendimus, qua ipse oppugnat. So- let adversarius, inquit S. P. N. (a) imitari aliquem belli ducem, qui obsessam arcem expugnare atque depraedari cupiens, exploratâ prius naturâ & munitione loci, debiliorem partem aggreditur. Sic nimirum & ille circuit animam, & callidè inquirit quarumnam virtutum praefidiis, moralium scilicet aut theolo- gicarum, ipsa vel munita vel destituta sit: eâque potissimum parte machinis om- nibus

N 5

(a) Reg. 14. ex prior. de discret.

nibus admotis irrui, ac subvertere nos sperat, quam in nobis minus ceteris firmatam custoditamque esse prouiderit. Idem igitur quod aduersarius noster in ruinam nostram molitur, nobis arripiendum est in tutelam. Circumeundum, callidèque inquirendum in vitia, virtutes, passiones, tentationes, inclinationes, consuetudines, occupationes, exercitia spiritualia: omnibusque attentè inspectis, ad partem minus firmatam minusque ceteris custoditam applicare examen particulare.

Ex dictis sequitur, quæ sit materia examinis hic propositi, sive rationis conscientiæ quam à nobis ipsis exigimus: accuratè scilicet lustrare statum vitæ, & cognoscere quo loco sit negotium salutis nostræ æternæ. Ut res ista reddatur facilior, iuvabit omnem reducere ad puncta sequentia.

I. Circa statum cuiusque. An in illo quietem & pacem inueniat. An hujus legibus & obligationibus sese accommodet. An ab his aversionem aut tædium sentiat. An illis parum afficiatur.

afficiatur. An iudicium habeat illis contrarium. Religiosis incumbit hæc discutere, circa Regulas, consuetudines, & vivendi modum.

II. Circa tentationes. An importunæ sint & vehementes. Quæ remedia adhibeat. An facilè, vel difficulter resistat. Quas passiones experiatur, & quam acres. Quas inclinationes malas: & ad quæ peccata magis propendat. In quas occasiones labendi incurrat: & quibus viis illas declinare conetur.

III. Circa virtutes, mortificationes poenitentias. Quas potissimum exerceat. Quem in his fructum, quodve detrimentum experiatur. Si Religiosus est, quomodo seruet vota. An amet silentium, & animi collectionem. Quomodo afficiatur paupertati, injuriis, sui depressioni & despectui. Quo animo fuerit, cum occasio aderat hæc experiendi.

IV. Circa Exercitia spiritualia. Quo affectu hæc peragat. Quantum temporis illis impendat. Quomodo operibus per diem hæc applicet. Quem orandi

modum teneat : & quo fervore vel ariditate, qua collectione animi vel distractione. Quem fructum referat ex Examine generali, & particulari. Quem ex usu Sacramentorum Confessionis, & Communionis. Quam his præmittat præparationem.

V. Circa occupationes, officia, Ministeria spiritualia, & temporalia. Quam rectè se iis impendat. An iis absumat tempus inutile. Quo spiritu & zelo obeat ministeria animarum : qua justitia & adificatione illa quæ tangunt res temporales. Quomodo se habeat erga personas quibuscum agendum est. An excedat vel in amicitia, vel in aversione. An obsit, vel profitalicuius societas. Hæc ferè sunt de quibus circa statum profectumque spiritua-lem examen institui potest.

Solent aliqui hic incidere in extremum, quod tetigimus alibi: qui nimirum tam generaliter se inspiciunt, ut per hoc examen neque seipfos cognoscant, neque candidè se aperiant Directori in ratione conscientia. Periculum in

in
ca
&
lo
ab
te
bi
na
tu
in
n
n
f
v
H
t
f
r
c
t

in hoc genere potissimum nascitur circa examen passionum, consuetudinum, & habituum, sive bonorum, sive malorum: ubi percipi non potest, qualis aliquis sit, in quo gradu stet, vel quo tendat, nisi per actus ipsos, qui ex habitibus illis, passionibus, atque inclinationibus procedunt, qui illos habitus, inclinationes, passiones, quasi indigitant. Quisquis igitur seipsum nosse & aperire desiderat, in hunc modum id agat. Laboro ambitione sitique honoris, ita ut auxiliis talibus, vel diligentia tali, mihi procuraverim hoc vel illud officium: itemque in re tali me excusaverim, prætexuerim causas, replicaverim, murmuraverim, immodicèque me afflixerim, propter occupationem talem quæ abjectior videbatur, vel propter talem depressionem, aut apparentiam existimationis minoris. Conturbat me iracundia: ita ut in excessus tales proruperim. Tentationem passus sum, quæ culpam talem induxit. Atque hoc eodem modo de ceteris. Unde patet hoc status nostri pro-

fectusque examen, ab examine generali quotidiano lucem mutuare. Ex culpis enim & defectibus quotidianis, consuetudines, inclinationes detortæ, & passiones deteguntur. Sicut enim pulsus arteriæ infirmitatem occultam prodit; ita etiam cogitationes, verba, operaque quotidiana passionem indicant latentem: passio verò mala ex hisce signis deprehensa materiam sufficit examini particulari.

Intret igitur homo in iudicium cum seipso, & cum potentiis, cum passionibus, cum sensibus suis in eam rationem: cognitisque rebus illis, quibus & interius & exterius occupatur, statum reipublicæ à Deo sibi commissæ assequetur. Rationem subducat cum memoria, quas illa cogitationes frequentius volvat: hinc enim liquebit, quidnam sit quod plus amat, plus timet, vel averfatur. Supputet cum intellectu, an errores aliquos foveat, an vana & curiosa admittat neglectis utilioribus, an iudicio suo firmiter adhærescat: an sit pertinax, arrogans, indocilis,

docilis, impatiens boni consilii. Re-
 flectat ad actus voluntatis, quoniam
 hi ducant, quo objecto hæc delectetur,
 quid horreat, quid timeat, quid spe-
 ret. Hinc patebit an vanitatem diligat,
 an veritatem. Consideret feras bestias
 esse affectiones vitiosas, & quæ appeti-
 tui concupiscibili dominantur, gulam,
 luxuriam, avaritiam; & quæ irascibili,
 superbiam, iram, invidiam. Exami-
 net etiam sensus motusque hominis ex-
 terioris: quando enim hi incompositi
 sunt, infirmitatem arguunt interiorem.
 Dispiciat, qua ratione contineat ocu-
 los, gubernet linguam, dirigat gres-
 sum: quam collectus sit in cubiculo,
 quæ necessitas hoc deserendi, quæ sint
 conversationes, quæ colloquia, an va-
 na & inutilia, an aspera vel adulatoria,
 an detractoria, levia, vel jocosa. In-
 quirat in zelum animarum, quomodo
 satisfaciat officio sibi imposito, quam
 huc conferat lectionem, meditatio-
 nem, devotionem, pœnitentias, cor-
 porisque asperitates. Denique non
 excidat moriendum esse, & appropin-
 quare.

arr
ra-
ofius
cu-
bili-
fer-
ere
que
re-
ap.
er-
gi-
m
,
i-
ir
e
.
t
t

„ petit, si iniquo non delectatur lucro,
„ si immoderato rerum suarum non
„ delectatur augmento, si denique alie-
„ nâ felicitate non uritur, aut inimi-
„ ci miseriâ non lætatur. Et cum ha-
„ rum perturbationum nihil in se fortè
„ repererit, syncero disquirat examine,
„ qualium cogitationum specie delecte-
„ tur: & utrum nullis vanitatum
„ imaginibus acquiescat, vel quam ci-
„ tò animum ab iis quæ noxiè blan-
„ diuntur, abducat. „ Hæc S. Leo.
Ex quo, aliisque Patribus, qui simi-
lia loquuntur, videre est, quam fami-
liaris esse debeat Examinis hujus modus,
atque hinc promendam esse materiam
examinis particularis.

TRA-

TRACTATUS III.

De Fructu hujus Examinis,
quantum ad Confessionem.

CAPUT I.

*Examen quotidianum juvare ad
melius confitendum.*

Quemadmodum Confessio Sacramentalis purgandis animabus medium efficacissimum est, utpote non tantummodo exercitium spirituale, sed etiam legis gratiæ Sacramentum: ita ad Confessionis finem consequendum super omnia alia Exercitia juvat examen conscientiae quotidianum. Etenim ex institutione Christi materia hujus Sacramenti sunt actus nostri proprii, sive declaratio integra culparum nostrarum. Hæc declaratio

claratio inquisitionem & memoriam
 culparum supponit, doloremque &
 propositum emendationis: quæ omnia
 partes examinis sunt. Ut adeo dicere
 liceat, ab examine conscientiæ Con-
 fessionem materiam suppeditari, illud-
 que re ipsa dispositionem esse ad hoc
 Sacramentum. Propterea S. P. N. huic
 Examine in titulo hunc scopum præ-
 figit. *Ad peccatorum Confessionem uti-
 lissimum.*

Confessionem esse exercitium spi-
 rituale ambigere non potest, quicum-
 que ad virtutes complures attendit,
 quæ hic exercentur. Quisquis enim
 debite confitetur, per Fidem credit
 hoc Sacramento remitti peccata. Per
 spem confidit, illorum declaratione ea
 expunctum iri. Per caritatem amat
 Deum, & peccata detestatur, prop-
 terea quod Deum offendant: hic enim
 actus est contritionis perfectæ. Per hu-
 militatem, alteri aperit secreta cordis.
 Per obedientiam, se submittit legi di-
 vine. Per justitiam, debitis suis quoad
 potest, satisfacit. Per fortitudinem,
 mani-

manifestationis hujus difficultatem superat, calcatque & floccipendit ruborem & confusionem inde oriundam. Quoniam igitur tot virtutum actus in Confessione copulantur: Quis negaverit illam esse Exercitium spirituale, & quidem valde excellens? Rectè igitur Confessionem Exercitiis spiritualibus aunumerat S. P. N. Annotatione 18. & 19 inter viginti primas. Et Constitutionum Par. 3. cap. 1. §. 20. cum enumerat exercitia in quibus nostri instituendi sunt, rectè his accenset Confessionem. Quod si Exercitia spiritualia dicenda sint, (ut ex Annotatione primâ alibi diximus,) *Preparare & disponere animam, ad tollendas affectiones malè ordinatas, & iis sublatis, ad querendam & inveniendam voluntatem Dei, circa vitæ suæ institutionem & salutem animæ:* quid magis disponit animam ad inveniendam Dei voluntatem, quam ipsa Confessio? Ita ut, cum de negotio gravi deliberandum est, vix aliud ante omnia cogitandum sit, quam acquisitio gratiæ per
 Con-

Co
De
vin
per
bif
fess

Ch
mi
stra
erg
tur
ali
Ch
tor
fin
do
ter
le
vi
Ill
Ill
su
no
ve
vu

Confessionem, & reconciliatio cum Deo: ut unà cum hâc gratiâ lux divina cordibus nostris subeat, atque aperiat, quid sit Deo beneplacens nobisque profuum. Stat igitur Confessionem esse Exercitium spirituale.

Est præterea verum Sacramentum à Christo institutum ad peccatorum remissionem, & reconciliationem nostram cum Patre æterno. Non tantum ergò utilitates complectitur à tot virtutum actibus proficiscentes: verum etiam alias majores, ab efficacia meritorum Christi, quæ per Sacramentum peccatoribus applicantur; & ab assistentia singulari, qua Christus ipse, ut Sacerdos summus, hic subvenit, & pœnitentibus, & Sacramenti Ministris. Ille enim est, qui sanguine suo nos lavit. Ille Sacramentum hoc instituit. Ille hanc reconciliationis legem tulit. Ille nos prævenit splendoribus gratiæ suæ, & conscientiæ tenebras fugat. Ille nos à veterno peccati excitat, ille movet & perturbat cor nostrum, timore vulnerat, compunctionis lacrymas provocat,

vocat, amoris igne succendit. Ille Sacramento virtutem indit infundendi gratiam, & per hanc redeundi in amicitiam cum cælesti Patre suo, ut expoliantes nos veterem hominem cum actibus suis, induamus novum, & efficiamur in Christo nova creatura. Ille ipse adest Sacerdotibus Sacramenti hujus ministris, ut reos patienter audiant, mansuetè sufferant, misericorditer compatiantur. Ille lucem dat ut recta consulant, efficaciam ut persuadeant, rigorem ut terreant, vinum & oleum ut vulneribus affundant, longanimitatem ut emendationem sperent, fortitudinem & magnanimitatem ut alligent, caritem ut dissolvant, virtutesque alias propemodum divinas, ut supremæ potestatis officio, in qua vices Domini gerunt, ritè fungantur. Graviter hæc inculcat Leo Papa Theodoro Episcopo. (a) „ Mediator, inquit, Dei & hominum homo „ Christus Jesus, hanc propositis Ec- „ clesiæ

(a) Epist. 91.

„ clēsiæ tradidit potestatem, ut &
 „ confitentibus actionem pœnitentiæ
 „ darent; & eisdem salubri satisfac-
 „ tione purgatos, ad communio-
 „ nem Sacramentorum per januam
 „ reconciliationis admitterent. Cui
 „ utique operi incessabiliter ipse Sal-
 „ vator intervenit, nec umquam ab
 „ his abest, quæ ministris suis exe-
 „ quenda commisit, dicens. *Ecce*
 „ *ego vobiscum sum usque ad consum-*
 „ *mationem sæculi*: ut si quid per
 „ servitutem nostram bono ordine
 „ & gratulando impletur effectu, non
 „ ambigamus per Spiritum sanctum
 „ fuisse donatum. „ Hæc S. Leo. Quo-
 „ niam igitur Confessio exercitium adeò
 „ utile est, & Sacramentum adeò sa-
 „ lutare, dispositionem debitam postulat:
 „ hæc autem tota reducitur ad duo ca-
 „ pita, quæ examinis propria sunt. Pri-
 „ mum est, meminisse omnium pecca-
 „ torum, ut Confessio sit integra: al-
 „ terum est verè confiteri & dolere,
 „ cum emendationis proposito firmo,
 „ ut Confessio non sit ficta. *Ante ju-*
 „ *dicium,*

dicium, inquit Sapiens, (a) *interroga teipsum, & in conspectu Dei, invenies propitiationem.* Quomodo enim alteri delictorum tuorum rationem daturus es, si prius hanc non iniveris cum teipso? Quomodo te accusabis veniam rogaturus, nisi prius dolueris? Hinc evincitur plurimorum peccantium cæcitas, qui Confessionem reducunt ad ceremoniam quamdam, quâ declarare peccata oporteat: arbitantes hac ratione se mundos reddi, atque ex Sactamento ipso desumentes occasionem peccata reiterandi. Facilius enim sibi esse existimant peccata Sacerdoti edicere, quam non committere: & impendio haud magno stare censent delictum, ex eo quod confitendum sit. Næ illi nesciunt, quid rei sit confiteri & dolere. Neque enim frænum aliud ad non cadendum potentius est, quam dolor de casu: & cordatus quisque caverit agere, si noverit necessariò dolendum esse

(a) *Eceli.* 18. 20.

esse
lore
tum
eius
deto
pro
I
emo
ven
nia
stitu
est
qua
ex
ad
gul
Pri
co
pec
alie
har
dar
par
ver
fig
aff

esse, postquam egerit. Ad hunc dolorem in Confessione requisitum, quantum conferat examen, in comperto est: ejus enim officium est de peccatis jam detectis compungi, & emendationis propositum procurare.

In hoc ipso fundantur tria illa emolumenta, quæ S. P. N. asserit provenire à Confessione generali. Quoniam enim Confessionem hanc instituenti, potissimum incumbendum est ut contritionem afferat sinceram, quantumque fieri potest intensam, & ex motivis deductam perfectioribus: ad dolorem hunc adminicula duo singularia sufficit Confessio generalis. Primum est, quod quasi obtutu unico in memoriam revocet totius vitæ peccata. Sicut enim is qui lenim alieno ære opprimitur, si separatim hanc vel illam debiti partem inspicit, damnum suum non pensat, quoniam particula quælibet per se parva est; si verò in summam nominum universam figat oculos, tum denique jacturam assequitur, seriòque redit ad se. Idem

O

accidit

accidit peccatoribus, qui delicta sua omnia in massam unam accumulunt, & tunc vident se cum seruo Evangelico debere decem millia talenta. Ad hunc fructum respexit S. P. N. cum de Confessione generali ait: *Eam facienti multo plus commodi & meriti accedit, ob dolorem scilicet de peccatis, & malitiã vitæ præteritæ, quem ita sentit vehementiorem.* Hoc est, afficitur vehementius, quia cumulum peccatorum omnium intuetur. Hic igitur nodus est hujus primæ utilitatis: ideo dolet impensius, quia dolet de peccatis, & malitiã vitæ præteritæ universæ. Primum itaque Confessionis generalis emolumentum, provenit à memoria culparum omnium, sive à majori illustratione intellectus. Alterum emolumentum ex parte voluntatis est ipse dolor: qui similiter in Confessione generali major est. Ut enim aliquis Confessionem illam instituat, spiritualibus quibusdam exercitationibus, & meditationibus, præ quam alio tempore sese occupat, huc facientibus, ut peccato-

rum

rum
teste
tum
Quo
cit
stius
tant
perce
ro,
tion
pore
& r
num
ferti
exer
tunc
niam
mut
exca
liti
mus
fess
nes
mu
gene
pri

rum suorum malitiam cognoscat & detestetur. Hoc secundum emolumentum proponit S. P. N. his verbis. *Quoniam inspectâ, per spiritualem exercitationem, longè quam antea manifestius, naturâ & malitiâ peccatorum, tanto amplius commodum ac meritum percepturus est.* A peccatorum numero, & malitia, ad eorundem detestationem semper moveri possumus: tempore autem Confessionis generalis, & malitia hæc clarius cognoscitur, & numerus sollicitius examinatur, præsertim quandò ad illam se disponit per exercitationes quasdam spirituales: tunc igitur dolor nascitur major. Quoniam verò passio quæ peccata induxit, mutationi vitæ nostræ resistit, nosque excæcare nititur, ne peccatorum malitiam, & numerum debitè ponderemus; præscribit sanctus Pater ne Confessionem generalem post exercitationes illas spirituales diutius protrahamus: propterea sic concludit, *Porro generalis ista Confessio, post hebdomada primæ exercitia potissimum erit opportu-*

na. Homo enim qui morum immutationem sibi indixit, per quietem & moram, in exercitiis & meditationibus istis, magis sibi attendit, magisque penetrat peccatorum numerum & malitiam. Tertium denique Confessionis generalis emolumentum superaddit S. P. *Quia consentaneum est, hominem sic rite confessum atque dispositum, multo melius se habere ad Eucharistia sump-tionem.* De hoc fructu locus occurret in Tractatu de frequentia sacrae Communionis. Hoc solum notandum restat, haec tria emolumenta à S. P. N. tribui Confessionis generali arbitrariae, sive quae ex devotione fit. Sic enim ait: *Ex Confessione generali ultro facta, inter alia pleraque, percipiuntur haec tria emolumenta.*

Hinc sequitur Confessionem hanc quandoque posse esse strictae obligationis: quando scilicet Confessiones praecedentes invalidae fuerint. Invalidae autem fuerunt, quando vel non fuerunt integrae, vel fuerunt fictae. Non fuerunt integrae, si vel examen fuerit insufficientis,

sufficiens, vel malitiosè celata sit culpa
 gravis. Fuerunt fictæ, si defuerit do-
 lor ad Sacramentum requisitus. His
 calibus Confessio generalis non arbitra-
 ria, sed obligatoria est: & emolumen-
 ta quæ hanc consequuntur magis neces-
 saria, magisque notoria sunt. Quan-
 dò igitur Sanctus dicit, hæc emolu-
 menta percipi *Ex confessione generali
 ultrò facta*, ad ingenerandam majorem
 Confessionis hujus æstimationem hoc
 dicit: ne hi qui obeunt exercitia in
 Confessione generali langueant, quo-
 niam censent ad illam se non teneri,
 cum scrupulus ex confessionibus præ-
 teritis nullus supersit. Quia, inquit,
*Tametsi ad generalem hujuscemodi Con-
 fessionem minimè obligetur: eam tamen
 facienti ipsi multò plus commodi, &
 meriti accedit*: idque ob rationes tres
 quas subnectit, atque hic allatæ sunt.
 His tribus addi possunt emolumenta
 alia, & multa, & magna, que Con-
 fessionem generalem commendant: ut
 diximus in Tractatu de Examine gene-
 rali vitæ præteritæ. Ad propositum

nostrum hoc facit, Confessione generali subservire Examen, Confessionem generalem facere *ad purgationem animæ*, Confessionis hujus utilitates præcipuas esse tres recensitas. Atque hoc dicere voluit S. P. cum scripsit, *Percipiuntur tria hæc emolumenta.* Hæc de materia quam tractamus.

C A P U T II.

De confessione peccatorum venialium.

PECCATA venialia non afferunt quidem materiam Confessionis necessariam, sed tamen sufficientem: & ad absolutionem, & ad gratiam inde resultantem. Sicut igitur superius diximus, examen peccatorum venialium momenti maximi esse ad conferendam animæ puritatem majorem: ita hic cum proportione idem asserimus de illorum Confessione. Confessionem hanc si consideremus ut Sacramentum: gratiam inge-

ingenerat novam. Si verò ut exerci-
 tium: tot virtutum actibus sociatur,
 quot Capite precedente retulimus, tan-
 tòque ad humilitatem nitoremque con-
 scientiæ plus facit, quantò maculæ
 quas confitemur leviores sunt. Pec-
 catorem se profitetur beatus Job, &
 delictorum suorum meminit locis plu-
 rimis: non loquitur tamen nisi de ve-
 nialibus & levibus. Alio enim loco
 dicit: (a) *Justificationem meam quam*
cæpi tenere non deseram: neque enim
reprehendit me cor meum in omni vita
mea. Et tamen vir justissimus accusat
 se palam, & de minoribus noxis se
 acculat, reumque se confitetur. (b) *Si*
abscondi, inquit, quasi homo peccatum
meum, & celavi in sinu meo iniquitatem
meam. In quæ verba Gregorius: (c)
 „ Hæc sunt, inquit, veræ humilitatis
 „ testimonia, & iniquitatem suam
 „ quemque cognoscere, & cognitam
 „ voce confessionis aperire. At con-

O 4

„ tra,

(a) *Job. 27. 6.* (b) *Job. 31. 33.*(c) 22. *Moral. 13. & 14.*

„ tra, usitatum humani generis vitium
 „ est, & latendo peccatum committe-
 „ re, & commissum negando abscon-
 „ dere, & convictum defendendo
 „ multiplicare. „ Et infra: „ No-
 „ tandum, quod superius virtutes
 „ suas loquitur, inferius peccatum
 „ fatetur. Hinc enim liquidò de-
 „ monstrat, quam vera de bonis suis
 „ dixerat, qui noluit tacere de malis.
 „ Modò virtutes suas indicat, modò
 „ culpam: quia & perpetraverit pec-
 „ catum, & non tacuerit, manifestat.
 „ Unde certissimè apparet, quantæ
 „ munditiæ in omnipotentis Dei ocu-
 „ lis fuerit, qui & vitavit mala ne
 „ committeret, & tamen quæ eum
 „ committere contigit, hominibus
 „ non abscondit: quatenus ei & justiti-
 „ æ sit gloria, declinasse peccatum;
 „ & justitiæ custodia, quod non, po-
 „ tuit declinare, prodidisse. „ Quod
 „ si levium peccatorum confessio, ad
 „ conservandam augendamque justitiam
 „ tantæ fuerit olim virtutis & efficacæ,
 „ quandò aliud non erat quam humilis
 imbe-

in
 ap
 co
 ip
 lu
 el
 tu
 p
 d
 q
 &
 li
 n
 (a
 tr
 D
 &
 v
 m
 li
 el
 el
 co

imbecillitatis suæ confessio, nudaque apud homines assertio veritatis, quam coram Deo detexerat: quanta erit illa ipsa accusatio, quando non istarum solum aliarumque virtutum exercitium est, sed præterea legis gratiæ Sacramentum, quod nos purificat, renovat, & per Christi sanguinem à peccatis emundat. Sed quoniam in illorum gratiam, qui confessionis hujus praxim adhibent, & per hanc ad perfectionem enituntur, libri multi conscripti sunt: ut S. Patri nostro fiat satis, præscribenti ut nostris (a) *Modus bene & fructuose confitendæ tradatur*, dicamus breviter hæc tria. De quibus peccatis, quâ dispositione, & quâ formâ instituenda sit Confessio venialium.

Quantum ad primum, supponamus ut certum, peccata omnia mortalia materiam Confessionis necessariam esse. His igitur alia regula danda non est, præter hanc: omnia de quibus constat quod mortalia sint, itemque ea

O 5

de

(a) *Par. 3. c. 1. §. 20.*

de quibus post examen prudens, probabiliter dubitatur an talia sint, cum specie & numero in confessione declaranda esse. Quoniam verò liberè & absque lege obligante venialia confitemur, Confessio hæc vitium incurere potest in utramque partem extremam: medium quisque teneat, quod conducibilius existimabit, ad puritatem suam majorem, profectumque spiritualem. Etenim extrema duo, quæ in examine accidunt, ut supra retulimus, aliis nihil invenientibus quod examinent, aliis nimis vehementer, & anxie id agentibus, in hac etiam Confessione usui veniunt. Unis enim accusationis materia prorsus nulla occurrit: aliis adeò copiosa, ut dicendi seque excutiendi nullum faciant finem. Alii adinstar molæ Confessionem adeunt, & accusant se identidem de iidem: vel per conditionales, si adhæserint, si excesserint, si consenserint: vel valdè generaliter, non repulisse se, neque restituisse cogitationibus, ut debebant; non continuisse oculos, non appendisse verba,

ba, non fervavisse temperantiam inmensâ, ut par erat, exercitia spiritualia non præparavisse, neque ea diligentia, reverentiâ, attentione peregrasse, quâ res postulat, &c. Sicut autem hic loquendi modus valdè genericus est: ita huic subijci potest peccatum grave, veniale, imperfectio, quandòque etiam meritum, si restiterit quidem peccato, non eo tamen fervore quo tenebatur. Hinc fit, ut per istiusmodi Confessionem, neque pœnitens, se declaret, neque Confessarius pœnitentem cognoscat, verum æquè post Confessionem, quam ante, statum ejus ignoret. Alii è contrariò anxietate nimia cogitationes motionesque animi ea subtilitate detegunt, quam ipsimet non assequuntur: eâque numeri accuratatione, quam inire non datur. Hinc numquam cessant declarando quod ipsimet non intelligunt, revocando sæpius id quod jam affirmaverant, moxque affirmando quod revocaverant: displicentque sibi ipsi, veluti desperantes fore umquam ut officio satisfaciant, ad

quod se arbitrantur obstrictos. Revera negotium quod sibi imponunt, humanas vires excedit: atque in stuporem illos hoc agit, & ad omne exercitium bonum reddit ineptos.

Ut inter hæc extrema medium teneatur, notandum est: devotionis meræ negotia, non ita assumenda esse, ut devotionem impediunt. Atqui Confessio venialium, quæ cognoscuntur ut talia, non obligationis, sed devotionis negotium est. Procul ergò ab hoc negotio abesse debet fatigatio omnis & anxietas quæ devotionem suffocet. Figendus oculus in regulas supra propositas ad Examinis punctum tertium. Supposito enim quod tam Examinis quam Confessionis finis communis sit, puritas scilicet animæ major, & devotionis profectusque spiritualis augmentum: quæ non conducunt ad Examen bonum, neque ad Confessionem conducunt. Imo contingit, quædam intra conscientiam utiliter discuti, quorum Confessio ob rationes singulares nocere possit. Sit ergò regula hæc

hæc generalis, in Confessionibus arbitrariis, ea rectè declarari, quæ prodesse experimur, & non obesse, dilatare animum, non illaqueare; incrementum virtutum & notitiam Dei parere, non decrementum. Ut verò magis particulariter rem agamus: tria genera sunt eorum, quæ in hac Confessione declarari possunt.

Primò, peccata venialia advertenter, deliberatè, & malitiosè facta. Ut sunt mendacia, præsertim ea quæ Superioribus imponunt, vel eorum voluntatem avertunt ab alicujus oneris injunctioe, vel inducunt ad honoris cujusdam affecutionem. Item murmuraciones: potissimum quandò fiunt ex invidia, odio, indignatione. Contentiones, verba ad injuriam aut despectum prolata, quæ non attingunt culpam gravem, nugatoria, vel otiosa cum excessu. Refectiones extra tempus, & non necessariæ. Et alia his similia, quæ fiunt deliberatè, & advertenter. His adnumerantur amicitiaæ particulares, quæ suspicionem & periculum

culum ingenerare possunt ne declinent à principiis suis, & à spiritualibus carnales fiant. Aspectus curiosi & fixi, dona & litteræ, & alia quibus bona ædificatio periclitatur. De his omnibus convenit se accusare, addito etiam numero. Credibile enim est, perfectionis candidatos, qui Confessionem frequentant, neque adeò propositi sui esse immemores, ut lapsus istos non persentiscant; neque hos tam multos esse, ut levi negotio numerus iniri nequeat.

Secundò, genus aliud venialium est, non tam à voluntate deliberatâ, quam ab infirmitate vitium contrahens: tanta enim liberi arbitrii fragilitas est, ut facillimè inflectatur, & declinet à via rectâ, atque à divinæ voluntatis perfectione recedat. Hæc peccata neque possunt examinari omnia quæcumque accidunt, neque minutim in Confessione exponi quæ cognoscuntur: sed pro majori parte dumtaxat, & generaliter. Accusando se de segnitie, culpisque commissis, in verbis superfluis
&

&
vag
in
tan
pec
co
in
cir
du
mi
ma
fif
na
pe
ni
C
lu
de
vi
in
p
fi
S
p
e

& inconsideratis, in cogitationibus vagis & inutilibus, in distractionibus, in tepore orationis, &c. Advertendum tamen, huic generi subesse quamdam peccati materiam periculosam, & viscosam, neque minus verecundam: ut in cogitationibus turpibus, vel incuria circa visum vel tactum. Consulendum est ut in hac materia sincerè humiliterque declaretur quidquid intra animam latet. Tum quia hac ratione sistitur tentationis progressus, & technæ dæmonii dissipantur, quod magno perè abhorret lucem: tum quia via sternitur, & ex parte non parvâ difficultas Confessionis superatur, si fortasse lapsus superveniat gravior.

Tertio, quædam sunt quæ ne quidem attingunt culpam venialem. Ut violatio regulæ vel ordinationis nullum inducentis peccatum: similesque imperfectiones, quas in his qui profectui suo student, divinæ lucis radius detegit. Supervacaneum esset hæc singillatim persequi, & quorundam acculatio redundare posset in honorem & vanitatem.

tem. In harum imperfectionum Confessionibus duo notari possunt. Primò, si defectus sit in materia, in quam impingo identidem, quamque sæpius proposui vitare: tunc etiam ratio lapsuum, quæ redditur, frænum est aduersus relapsum, ut dicitur in Tractatu de Examine particulari. Secundò, si defectus sit talis ut pariat verecundiam, præsertim in materia plurimum conferente ad profectum in spiritu: v. g. defecisse à pœnitentiis ordinariis, non satisfacisse exercitiis spiritualibus, &c. Nihilominus verum est, quasdam animas tot cælestibus favoribus cumulatas, tot gratiis præventas, tanto Dei amore æstuantes, tantisque illi complacendi desideriiis succensas esse, ut gravius terant, amariusque deplorent imperfectionem etiam minimam: neque aliud solatium sentiant, quam sui accusationem, iis intermixtam lacrymis, eoque sensu cordis quem dolor animi parit. Quid his facias? Permitte ut illo pane lacrymarum satientur, quo Deus illas sustentat: locumque da,
ut

ut
def
se
nar
nia
ad
ca
nit
Sa
lor
qu
lev
qu
vis
pa
cu
bi
in
ge
in
fo
m
re
ti
fi

ut se humiliant ante Deum, & juxta desiderium suum Confessionis rubore se castigant, quem Confessario ordinariè majorem excutiunt. Hæc de venialibus in Confessione deponendis.

De altero capite, sive dispositione ad hanc Confessionem necessariã, pauca annotanda occurrunt. Constat enim eam postulari, quam requirit hoc Sacramentum: hoc est, examen, dolorem, propositum emendationis. Neque, ut peccata sint levia, propterea levis sit & perfunctoria præparatio: quoniam negotium momenti non levis est, de Sacramenti hujus fructu participare. Tempus tibi sume, locum elige convenientem, ut tecum habites, & consideres quam rem agere instituas. Non te auferat consuetudo generalia proloquendi: examina culpas in particulari, quantum postulat ea forma Confessionis quam declaravimus. Circumspice motiva, ut dolorem elicias, & pro defectuum conditione propositum emendationis. Etenim si culpæ sunt primi generis, sive ad-

verten-

vertenter & deliberatè commissæ, proposito indigent absoluto, ne umquam redeant posthac: id autem impetrare poteris per gratiam in Sacramento communicandam. At verò, si alterius generis sunt, cum sine Dei privilegio speciali, quod paucissimis datur, longo tempore culpas illas omnes vitare non possis, temerarium foret propositum istiusmodi. Quoniam tamen absque emendationis proposito pœnitentia stare nequit: propone generaliter diligentiam adhibere, quamcumque per divinam gratiam conferre poteris: ut si non possis declinare omnia, saltem illa imminuas. Deinde contemplare animo dispositionem, quam proposuit Christus Apostolis suis. (a) *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Pedibus enim terram tangentibus, semper pulvis aliquis adhærescit, qui illorum lotionem postulet iteratam: justus itidem, qui per Dei gratiam mundus est à mortalibus, quo-

(a) *Joan 13. 10.*

quoniam pedibus terram terit, venialibus quibusdam sordidatur, semperque lotionem indiget novam. Quoties ergo Confessionem adit, imaginetur sibi, se ad Christum accedere linteo præcinctum, paratumque sanguine suo sordes pedum lavare. Eo timore, ea verecundia & reverentia erga personam Christi, in lucem proferat culpas, qua Petrus pedes suos exporrexit: ea dispositione & oblatione sui, tamquam si in culpas graviores prolapsus, lavandas offerret manus & caput.

Formam Confessionis, de qua tertio loco dicendum superest, reducit Bernardus (a) ad conditiones tres: humilitatem, puritatem sive sinceritatem, & fidelitatem sive fiduciam veniæ. „
 „ Omne, inquit, quod remordet conscientiam, confitere humiliter, pure, fideliter, & has vices implesti.
 „ Sunt, inquit, qui gloriantur, cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Verum hos ab hac disputatione

(a) *Serm. 16. in Cant.*

„ tatione tamquam sæculares amoveo.
 „ Quamquam & de his qui religioſè
 „ veſtiti & religionem profeſſi ſunt,
 „ nonnumquam audimus aliquos re-
 „ miniſci & jactare impudentiſſimè
 „ mala ſua præterita. Sæcularis autem
 „ animi indicium eſt hoc. Nonnulli
 „ talia, quaſi dolendo & pœnitendo
 „ rememorant, ſed gloriam intentione
 „ captantes, commiſſa ſua non diluunt,
 „ ſeipſos illudunt. „ Altera Cor-
 „ feſſionis conditio eſt, ut ſit pura, ſive
 „ ſimplex. Liquor dicitur purus, qui
 „ nullo alio liquore miſcetur. Confef-
 „ ſio igitur non erit pura & ſimplex, quan-
 „ do accuſatio excuſationibus commiſce-
 „ tur, & culparum propriarum agnitio,
 „ alienarum manifeſtatione velatur. „
 „ Oportet autem & eſſe ſimplicem
 „ Confefſionem, inquit. Non inten-
 „ tionem excuſare delectet, ſi ſit rea:
 „ nec levigare culpam, quæ gravis eſt:
 „ nec alieno adumbrare ſuaſu, cum
 „ invitum nemo coegerit. Primum
 „ illud, non Confefſio eſt, ſed defen-
 „ ſio: nec placat, ſed provocat. Se-
 „ quens

„ C
 „ C
 „ r
 „ P
 „ C
 „ f
 „ r
 „ r
 „ f
 „ i
 „ C
 „ i
 „ t
 „ C
 „
 ut
 ob
 ſio
 in
 Co
 tar
 (a)
 ſar
 mo

„ quens monstrat ingratitude: &
 „ quo minor reputatur culpa, eò mi-
 „ nuitur & gloria indultoris. Jam à
 „ postremo primi hominis dehortetur
 „ exemplum, nec culpam quidem dif-
 „ fitentis, nec tamen consequentis ve-
 „ niam: non dubium, quin ob reatus
 „ mulieris admixtionem. Genus excu-
 „ sationis est, cum argueris tu, alium
 „ inculcare. Denique, sit & fidelis
 „ Confessio, ut confitearis in spe, de
 „ indulgentia penitus non diffidens: ne
 „ tuo te ore non tam justifices, quam
 „ condemnes. „ Hæc Bernardus.

Supra hæc omnia curandum est,
 ut Confessio sit integra, etsi non sit
 obligatoria. Anne uspiam Confes-
 sionis obligatio occurrit minor, quam
 in casu, quo peccatum ritè legitimeque
 Confessario alias declaratum est? Atqui
 tamen de hoc casu sic statuit S. P. N.
 (a) *Qui autem alii, quam suo Confes-
 sario designato confiteretur, debet post-
 modum, (quantum recordari poterit,)
 eidem*

(a) *Par. 3. cap. 1. litt. Q.*

eidem suo Confessario totam suam con-
 scientiam aperire: ut nihil ignorando
 quod ad illam pertineat, melius in Do-
 mino possit eundem juvare. Liquet au-
 tem hoc non solum præscribi in culpis
 levioribus, sed longè magis in gravio-
 ribus & majoris momenti: major enim
 est has non ignorandi necessitas, ut
 pœnitens in Domino melius juvari pos-
 sit. Tanti igitur fecit S. P. N. Con-
 fessionis sinceritatem & claritatem, ut
 calcatam voluerit verecundiam, timo-
 resque omnes humanos ex infirmitatis
 hujus adaperitione oriri solitos, etiam
 ubi nulla sese insinuat confitendi obli-
 gatio vel præceptum. Certum est
 personas spirituales complures in hoc
 negotio gravissimè periculosissimèque
 deludi. Sæculares enim, ut Bernardus
 supra testatur, gloriuntur cum malè fe-
 cerint, & propterea non verecundan-
 tur peccata sua propalare: è contrario
 verò illi, qui in spiritualium virorum
 catalogum semel se retulerunt, existi-
 mationem auctoritatemque suam in hac
 vanitate ponunt, ut illi esse videantur,
 quorum

quor
 tentu
 viâ r
 xiant
 poste
 præte
 tis su
 dum
 de co
 dem
 illud
 „ pu
 „ au
 „ li
 „ co
 „ fci
 „ ris
 „ &
 Peju
 „ Su
 „ sic
 „ ris
 „ ru

(a)
 (b)

quorum vitam & mores exterius profi-
tentur. Quod si semel aberraverint,
viâ rectâ, graviterque lapsi sint; an-
xiantur, & laborant summoperè, ne
posteaquam exciderunt gratiâ Dei,
præterea apud Confessarium integrita-
tis suæ opinionem imminuant: veren-
dumque est, ne non tantopere doleant
de commissione delicti, quam de ejus-
dem Confessione: atque in illos cadat
illud Tertulliani: (a) „ Plerosque
„ publicationem sui, aut suffugere,
„ aut de die in diem differre, velut il-
„ li qui in partibus verecundioribus
„ corporis contracta vexatione, con-
„ scientiam medentium vitant, pudor-
„ ris magis memores quam salutis,
„ & ita cum erubescencia sua pereunt.“
Pejus est, quod deplorat Bernardus. (b)
„ Sunt qui propter humanam confu-
„ sionem, sine respectu divini timo-
„ ris, pleni sordibus audacter se inge-
„ runt tantis mysteriis, (divini altaris.)
„ Audiant

(a) *Libro de Pœnit. in fine.*

(b) *De Ordine vitæ. initio.*

„ Audiant autem quod scriptum est :
 „ *homo videt in facie , Deus autem in*
 „ *corde.* (a) Sed illi plus metuunt ho-
 „ minem , quam Deum. O cæca
 „ temeritas ! ô mira Dei patientia ! „
 Adversus hoc crimen , Grande reme-
 dium est , Confessionis viam semper
 apertam tenere , atque è culpis ordina-
 riis illas pandere , quæ majorem vere-
 cundiam pariunt : & quamquam solos
 pedes lavandos afferat , lavacro huic
 offerre etiam manus & caput , ut supe-
 rius dicebamus. Non abscondat quid-
 quam quod remordet conscientiam ,
 neque permittat residere spinam in
 corde , cujus punctione cor palpitet die
 ac nocte , absque spe solatii & quietis.
 Propterea sic scribit S. Dorotheus : (b)
 „ Admonuere crebro majores nostri ,
 „ non debere pati monachum remor-
 „ deri sese aliquando à conscientia sua ,
 „ unâ quidem re minimâ. „ Sed &
 audiamus ad hoc propositum exhorta-
 tionem

(a) 1. Reg. 16. 7.

(b) *Doctrina 3. sub finem.*

tion
 „ ô
 „ ri
 „ tu
 „ ft
 „ ab
 „ co
 „ da
 „ ag
 „ el
 „ ca
 „ no
 „ ex
 „ no
 „ n
 „ fi
 „ u
 „ te
 „ p
 „ u
 „ le
 „ a
 „ u
 „ c

tionem Joannis Climachi. (a) Noli,
 „ ô fili atque Domino obediens, spi-
 „ ritu elationis decipi, neque peccata
 „ tua veluti ex persona alterius Magi-
 „ stro denunties. Neque enim licet
 „ absque verecundiâ rubore, æternâ
 „ confusione liberari. Aperi, denu-
 „ da, detege medico vulnustuum. Dic
 „ age, noli contundi: Meum vulnus
 „ est Pater, mea plaga, cujus mihi
 „ causa fuit, non alterius, sed propria
 „ negligentia. Nemo hujus auctor
 „ extitit, non homo, non spiritus,
 „ non corpus, non aliud quidquam,
 „ nisi desidia mea. Esto, dum con-
 „ fiteris, habitu, spe, cogitatione,
 „ ut condemnatus reus, dimissis in
 „ terram luminibus, atque si fieri
 „ potest, magistri aut medici pedes,
 „ ut Christi pedes, lacrymis riga. So-
 „ lent nonnumquam dæmones nos, ut
 „ aut non confiteamur hortari, aut certè
 „ ut hoc veluti ex alterius persona fa-
 „ ciamus, sive ut alios quosdam pec-
 „ P „ cati

(a) *Gradu 4. post med.*

„ cati nostri insimulemus auctores. Si-
 „ cut certum est quod consuetudo
 „ plurimum valet in malis, (cuncta ex
 „ ea pendent, eamque sequuntur:)
 „ omninò longe amplius ea valebit in
 „ bonis, cum potentissimum habeat
 „ adiutorem Deum. Noli, ô fili, an-
 „ nis plurimis laborans lassescere, do-
 „ nec in teipso beatissimam invenias
 „ requiem. Quod si teipsum in initio
 „ toto animo ignominiis exposuisti:
 „ ne indignum putes adjutori ac ma-
 „ gistro tuo, tamquam Deo, vultu
 „ animoque demisso culpas tuas confi-
 „ teri „ Hæc Climachus: qui verbis
 „ ultimis tangit stimulum, præsertim
 „ pro hominibus Societatis, efficacissi-
 „ mum: quos S. P. N. sub ingressum
 „ examinari jubet in hunc modum. (a)
 „ *Interrogetur, an decreverit, paratusque*
 „ *fit hujusmodi injurias, illusiones, &*
 „ *opprobria in Christi insignibus inclusa,*
 „ *& alia quævis, qua ei inferrentur, si-*
 „ *ve per quemvis ex domo vel Societate,*
 „ (in

(a) Exam, cap. 4. 5. 45.

(in qua obedire, & humiliari, ac eternam beatitudinem consequi exoptat,)
 sive extra eam per quemvis viventium,
 nulli malum pro malo, sed bonum pro
 malo reddendo, admittere & patienter
 pro Dei gloria ferre. Si unusquisque
 nostrum se obtulerit ad ferendas æquo
 animo injurias aliunde illatas: quanto
 magis paratus esse debet ut semet-ipsam
 manifestet, quando & tempus & oc-
 casio ad animæ suæ bonum id postulant?
 Profunda humilitas virtutumque excel-
 lentia hoc pacto probantur: neque in-
 ter omnia Beati Jobi decora, quæ vi-
 rum hunc posteritati omni spectatif-
 simum reddidere, quidquam adeo ra-
 puit Gregorium Papam, quam ingenua
 confessio peccatorum. Qui in hæc
 verba Jobi, (a) *si abscondi quasi homo*
peccatum meum, & celavi in sinu meo
iniquitatem meam, (b) „ Videatur vir
 „ iste, cui libet magnus in virtutibus
 „ suis: mihi certè sublimis apparet e-
 P 2. „ tiam

(a) Job. 31. 33.

(b) Greg: Moral. lib. 22. cap. 10.

„ tiam in peccatis suis. Mirentur in
„ eo, qui volunt, castitatis continen-
„ tiam, mirentur integritatem justitiæ,
„ mirentur viscera pietatis: ego in eo
„ non minus admiror confessionem
„ humillimam peccatorum, quam tot
„ sublimia gesta virtutum. Scio enim
„ quod per infirmitatis verecundiam
„ plerumque gravioris est certaminis,
„ commissa peccata prodere, quam non
„ admissa vitare: & unumquodque
„ malum, quamvis robustius videtur,
„ tamen humiliter proditur. „ Hæc
Gregorius.



IN-

I N D E X.

TRACTATUS PRIMUS.

De Forma Examinis Generalis Quotidiani.

C A P U T. I.

Quid senserint S. S. Patres
de exercitio hujus exami-
nis. Pag. 5.

De puncto primo examinis, sive
actione gratiarum. cap. 2. 21.

De secundo puncto examinis, sive
petitione gratiae. cap. 3. 32.

De tertio puncto examinis, sive
inquisitione peccatorum: Et de
vicio circa hoc punctum, per
defectum. cap. 4. 39.

P 3

De

(342)

*De Vitio circa punctum tertium
ab excessu. cap. 5. 54.*

*De puncto quarto examinis, quid
sit compunctio. cap. 6. 63*

*De tribus impedimentis compun-
ctionis. cap. 7. 73*

*De motivis compunctionis, & do-
loris de peccatis; & de puncto
quinto examinis. cap. 8. 92.*

TRACTATUS II.

*De Materia Examinis Gene-
ralis Quotidiani.*

CAPUT I.

D*E doctrina S. P. N. circa
hanc materiam. pag. 115.*

*Declaratur textus Exercitiorum,
capite precedenti allatus.
cap. 2. 123. De*

De

Qu

De

Qu

Qu

Qu

Ca

De examine cogitationum. cap. 3.

140.

Quomodo distinguantur ista tria genera cogitationum, ex parte materie. cap. 4. 151.

De alio signo ad dignoscendum istas cogitationes; & quanti referat discretionis hujus scientia. cap. 5. 162.

Quot modis mereri, & peccare possimus per cogitationes. cap. 6. 181

Quod examen quotidianum etiam fieri debeat, de peccatis venialibus, & imperfectionibus. cap. 7. 203.

Qui proficiunt in Virtute, & qui perfecti sunt, majori necessitate debent examinare indies, & corrigere peccata venialia. cap 8. 218.

Capita, ad quæ reduci possunt peccata

P 4

peccata

(344)

peccata venialia, ut examinentur, & in Confessione detegantur.

cap. 9. 243.

De fine examinis, sive fructibus, qui inde referri debent. cap. 10. 256.

Reliqua exercitia juuari & vires suas accipere ab examine.

cap. 11. 270.

Statum & profectum nostrum spiritualem, quandoque examinandum esse. cap. 12. 285.

Tra-

T
De
qu

E
De
la

(345)

TRACTATUS III.

De Fructu hujus Examinis,
quantum ad Confessionem.

CAPUT I.

EXamen quotidianum juvare
ad melius confitendum p. 306.
De confessione peccatorum venia-
lium. cap. 2. 318.



P 5

Ego

EGo infra scriptus Societatis
 Jesu per Flandro Belgium
 Præpositus Provincialis, po-
 testate mihi ad hoc facta à P.
 N. Thyro Gonzalez, Præpo-
 sito Generali ejusdem Societa-
 tis, concedo Viduæ Henrici
 Thieullier Typographi pote-
 statem imprimendi librum, cui
 titulus, Tractatus tres de Exa-
 mine generali quotidiano, His-
 panicè scripti à P. Ludovico
 de Palma Toletano Societatis
 Jesu & ab alio Societatis ejus-
 dem Latinè redditi à deputa-
 tis ejusdem Societatis Theolo-
 gis examinatum & approba-
 tum. In quorum fidem has
 propria manu subscriptas &
 con-

con-
 mur
 Oct

L

(347)

consueto officii nostri sigillo
munitas dedi. Antverpiæ 27
Octobris 1700.

LIBERTUS DE PAPE.





Tra-


Traetatus hi de Examine
Conscientiæ generali &c.
per R. P. Ludovicum de Palma
Hispanicè scripti & Latine red-
diti per Sacerdotem Societatis Je-
su utiliter imprimentur. Datum
Antverpiæ 26. Octobris. 1700.


A. HOEFLACH E. C. C. G.
LIBR. CENSOR.



















TRECE
BRAMIN
CONSON

Th
3070

